SED

Bonnet

DISQUISITIO PHILOSOPHICA JURIS PUBLICI INAUGURALIS

DE

SUMMI IMPERII CIVILIS ORIGINE ET NATURA, DEQUE VARIIS EJUSDEM FORMIS, PRAESERTIM DE MONARCHIA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII PRUYS VAN DER HOEVEN,

Med. Doct. et Prof. Ord.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

EDUARDUS JOSEPHUS HUBERTUS BORRET,

SILVADUCENSIS.

AD DIEM XXVIII JUNII MDCCCXXXIX, HORA XII—I.

LUGDUNI BATAVORUM

APUD J. W. VAN LEEUWEN.

MD CCC XXX IX.

1. Political science, 1750-1880
2. Monarchy.
ED

VIRO AMPLISSIMO GRAVISSIMO

ANTONIO JOSEPHO BORRET,

J. U. D.

CONSILIARIO STATUS ORDINARIO, ORDINIS

LEONIS NEERLANDI EQUITI,

CAET. CAET. CAET.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

GRATO ANIMO,

D. D. D.

AUCTOR.

L. S.

Quum ante annum eoque amplius de conscribendo specimine, quo mihi gradum doctoralem consequi liceret, cogitarem, spatiabar per latissimum quidem civilis jurisprudentiae campum, sed eum tam multis ac innumeris pene modis peraratum inveniebam, ut nova et intacta aliis via mihi vix appareret. At vero dubitanti sponte in mentem venit SCAEVOLAE *effatum* «turpe esse causas oranti jus, in quo versaretur, ignorare»; *et cum ex illius verbis Juris Publici disciplinam cum ipso jurisprudentiae studio, in quod incubui, conjunctissimam esse intelligerem, subiit animum cogitatio, ut ex Jure Publico nostro materiam tractandam eligerem. Cui consilio eo lubentius me dedi, quod in ipsa Academia scholas politicas ita semper frequentassem, ut earum suavitate multum allicerer, meque occuparet et raperet Juris Publici elegantia et gravitas.*

Mihi igitur utilem neque aliis forte injucundam fore sperabam operam, quam in explicanda Regia potestate secundum legem fundamentalem nostram *collocarem. Quod opus cum suscepissem, initio quidem non dubitabam, quin ante me multi alii in tota lege fundamentali explicanda ita versati fuissent, ut mihi nihil aliud faciendum foret, quam ipsorum articulorum, quae de Regia potestate caverent, apud illos rationes perquirere, easque, prout proditas invenirem, diligenter explicare. Verum etsi de variis legis fundamentalis nostrae locis multa praesto essent opera, etiam dissertationes Academicae variae, quibus quidem omnibus sua laus debetur, mox tamen comperi, paucos admodum auctores haec illave jura Regis, prout eo duceret ipsum eorum argumentum, obiter tantum attigisse, nullos plane de Regia potestate separatim et magis ex officio scripsisse. Parum exploratam igitur regionem ingressus, tantum sensim ejus ambitum cognovi, cui rite perlustrando exiguam doctrinae copiam, quam habere mihi conscius eram, vix sufficere animadverti. Intellexi enim ad justam hujus argumenti elaborationem non solum evolvendam esse diligenter ipsam legem fundamentalem, sed quoque doctrinarum politicarum non modica opus esse cognitione, cum saepe in nobilissimis controversiarum locis, ubi lex fundamentalis sileat aut verba ejus dubia vel obscura sint, ex Juris Publici universi principiis et non raro ex historico patriae proprio solutio quaerenda sit.*

Et sane ob hujusmodi difficultates, serius licet perspectas, jam in eo fuisse ingenue fateor, ut de alio disputationis argumento eligendo cogitarem. Mox vero hac de re sedatiori animo meditantem ipsae difficultates denuo excitarunt: quo magis enim me premebant laboris molestiae, eo magis ejus perficiendi cupiditate flagrare coepi, et quo minus argumentum ab aliis tractatum viderem, eo utilius ejus elaborandi studium putavi.

Alacriori igitur scribendo manu admota, tandem opus absolveram. Sed ecce cum multo plus temporis, quam exspectaveram,

in illud impendere debuissem, dissertatio mea, quae satis ampla erat, ante ferias aestivas typis mandari non amplius poterat. Intererat autem mea maxime, ut ante hoc temporis punctum, gradum doctoralem consecutus, finem imponerem studiis Academicis. Quare ea de re communicavi cum Promotore meo Viro Cl. THORBECKE, *a quo statim consilium accepi, ut dissertationis meae partem aliquam, quo legi satisfacerem, sumerem, caetera, si vellem, postea ederem. Cui pomptus obtemperavi. Operi nempe praemiseram introductionem, in qua universa quaedam de Summo Imperio Civili, deque variis ejusdem formis, necnon de ipsa regni nostri constitutione et lege fundamentali summatim attigeram. Arbitrabar enim librum de Regia potestate recte conscribi non posse, nisi antea de Summo Imperio universe certo modo judicemus; praesertim cum hodiernis diebus de illius natura tam varie soleat disputari, ut in ea definienda cautissime versari oporteat.*

Hanc igitur introductionem, additis hic et illic nonnullis, nunc trado, dissertationem ipsam de Regia potestate secundum legem fundamentalem, *postea, si occasio erit, editurus. Opus autem polire et perficere erit jucundissimum; vias autem omnes, quibus ad finem pervenire citissime possim, persequi conabor.*

»Eene fout, dikwijls in staatsregt begaan, is, dat men te veel
»gehecht heeft aan vormen, en te veel de ware grondslagen
»van de burgerstaten en de echte beginselen, die alleen aan
»de vormen leven en werkkracht bijzetten, heeft verwaarloosd.»

Mr. C. A. DEN TEX, *over de noodzakelijkheid om de beginselen van het staatsregt, vooral in onzen tijd, wel te bepalen en aan dezelve vast te houden.*

I.

DE PRINCIPIO ET FUNDAMENTO SUMMI IMPERII.

Imperium sua natura atque origine non est pactitium, sed, Deo constituente, ex ipsa humana natura profluit. — Doctrina eorum, qui ex *pacto civico*, quod vocant, Imperium deducunt, nullo idoneo fundamento nititur, multaque in rempublicam mala invehit. — *Aurea Bulla, Capitulationes, Pacta Conventa, Magna Charta* caet., quae tanquam exempla ejusmodi pactorum afferri solent, minime pacta seu conventiones fuerunt, neque iis Imperium constitutum fuisse ullo modo probari potest.

1. — Vera omnino et certissima res est, *hominem ad societatem esse natum.* Recte jam dudum PLATO, cum hominem *θεῖον θαῦμα*, *divinum miraculum* appellaret, eum simul animal sociabile et politicum esse dixerat. Non commemorabo, commendari id quoque omnibus fere tum veterum tum recentiorum philosophorum placitis. Nec dicam, paucissimos istos, qui, primariam illam veritatem negantes et nova meditantes, peculiaria sibi atque horrida dogmata finxerunt, *hominem* scilicet *aliquando extra societatem inter feras bestias longe feriorem ipsis vitam degisse*, hoc ipso quod nimis evidenter a vero aberrarent, apud multos non citra jus sui aversationem excitasse. Sufficiat observare humanam conditionem, et quae ei sunt convenientia, statimque apparebit, humano generi, ut sit salvum, necessum esse, ut sit sociabile.

« Fac nos singulos, ait SENECA, quid sumus? praeda anima- » lium et victimae, ac vilissimus et facillimus sanguis. Quo- » niam caeteris animalibus in tutelam sui satis virium est; » quaecumque vaga nascuntur et actura vitam segregem armata » sunt; hominem imbecillitas cernit: non unguium vis, non » dentium terribilem caeteris fecit; nudum et infirmum *societas* » munit. Duas res dedit, quae illum obnoxium caeteris validis- » simum facerent, rationem et societatem. Itaque qui par esse » nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi do- » minium omnium animalium dedit; societas terris genitum in » alienae naturae transmisit imperium, et dominari etiam in » mari jussit. Haec morborum impetus arcuit, senectuti ad- » minicula prospexit, solatia contra dolores dedit; haec fortes » nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle, » et unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes » (1).

Num quid clarius dici potest ac verius? Homines igitur non, ut a quibusdam dicitur, propter utilitatem societatem sibi formaverunt (2), sed *natura* in societate vivunt, quia utilis. Nullus enim homo suam ipsius felicitatem assequi potest, nisi simul aliorum saluti studeat eamque promoveat; nec quisquam est qui non aliis indigeat. Statim ac nascitur, ut in vita manere possit, opem auxiliumque parentum vagitu implorat: parentes ideo propter infantem consociantur, indigentia vero et infirmitas infantem cum parentibus jungit. — Dum vero adolescit, animum anxium ad molestias, humilem ad timores, pronum ad libidines habet: in quo tamen inest tanquam obrutus quidam ignis ingenii et mentis divinus (3), qui nisi cultura accedat

(1) *De Beneficiis* IV. 18.

(2) Qui id dicunt, causam cum effectu confundunt. Quantum vero sic a vero aberrent, ingeniosa comparatione ostendit CICERO *de off.* I. 44: « ut apium » examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed cum congrega- » bilia natura sint, fingunt favos; sic homines, ac multo etiam magis, natura » congregati, adhibent agendi cogitandique solertiam. »

(3) Tradente CIC. apud AUGUST. *contra Julianum Pelag.* IV. 60.

exstinguitur. — Et licet tota vita non quiescat ad se magis magisque informandum, nonne tamen, ubi senuerit, eo tandem pervenit homo, unde ortum duxit, et, quo aetatis molestias soletur, a pueris exspectat, ut sui curam habeant aut se sublevent, utque ita beneficiis vicem rependant, imo potius legitimo tempore debitum persolvant necessarium, quod acceperunt reddentes? — Ergo infantiae infirmitas, adolescentiae inscitia, senectutis fragilitas hominem necessario adhortantur et cogunt, ut opem, consilium, adminiculum in sui similibus quaerat. Sic inevitabilis illa hominis imbecillitas, qua solus sibi sufficere non valet, conjunctionis causa fuit; sic necessitudo et communitas inter virum et uxorem, inter patrem et liberos, societatis humanae initia posuerunt.

Apparet igitur ipsam conditionem hominis, in qua nascitur, societatem desiderare. Insuper autem corporis animique facultates in homine societatem necessario requirunt (1). Eum enim naturae Auctor eximia formavit conditione: figuram corporis habilem et aptam ingenio dedit; moderationem vocis tribuit et orationis vim; ac cum reliqua animantia solum corporis viribus utantur, ratione careant, hanc hominis esse praerogativam voluit, qua praesentia avertere, futura non negligere; utraque conferre; brevia diuturnis, minora majoribus commodis postponere; quodque utile esset ab eo quod non esset, cum judicio discernere posset. Atque his tam pulchris dotibus ornato quid magis proclive fuerit, quam sequi alios sui generis? Sic est: homo invicta necessitate et cogente natura appetit societatem, quia ea juvatur et conservatur; ac si nihil juvaretur, eam appeteret tamen, ne sermo esset otiosus sibi (2).

(1) Ratio fecit hominem hominum appetentem, eumque his natura, et sermone et usu congruentem. Cic. *de finib.* II. 14.

(2) Hominem ad socialem vitam a natura destinatum esse vel hoc unum sufficienti poterat argumento esse, quod ipsi prae caeteris animantibus datum sit articulato sono aliis posse animi sensa indicare; cujus facultatis extra socialitatem inter homines vix ullus usus intelligi potest. — Pufend. *de jure nat. et gent.* IV. 1. 1.

Deinde vero, sensibus quoque et vita physica homo cum universa natura veluti conjunctus est. An igitur qui cum eo ejusdem animi sunt participes, eodem boni malique sensu afficiuntur, et ad eandem naturae providentiam pertinent, ab ipso fuerint alieni? (1) Vel an forsan homini, sicuti caeteris animalibus, societas qualiscunque fortuito quodam concursu aut brevi periculo nata, satis fuisset? Sed inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum quod est, quodque praesens est, sese accommodet; homo vero qui ratione gaudet, per quam consequentias cernit, causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adjungit atque annectit futuras. Ob hanc scilicet causam homo, vi rationis, societate indigebat non temporaria, sed certa et perpetua et pro sui intellectus modo ordinata.

Porro, si homines singuli fusique per agros et silvas vitam tolerassent, procul dubio non nisi materialibus ducti affectibus, quemadmodum bruta animalia, his similes prorsus facti fuissent, solo instinctu carentes, quem cum iis communem non habuissent. Ita sane rationis usu mox obscurato, immo sublato, libertatem et voluntatem amisissent: libertas enim et voluntas nulla est, ubi desit intellectus et judicium.

Natura denique omnes homines maxime inaequales fecit. Summam quippe in iis cernimus inaequalitatem dotium animi corporisque, ratiocinii, aptitudinis, memoriae, et infinitas alias, quae crescentibus annis augentur semper et novis accumulantur, ita ut animi non minus inter se sint dissimiles, quam oris lineamenta. Hac autem inaequalitate nititur societas, eaque sola societate compensari potuit, aut, si malis, in eorum utilitatem verti. Ipsa enim illa facultatum inclinationumque varietas, reciprocam quandam inter homines necessitudinem posuit, in qua

(1) Communis hominum inter homines naturalis est commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum quod homo sit, non alienum videri. — Cic. *de finib.* III. 19.

diversae propensiones, qualitates et mentis agitationes, absolutissimam unitatem arctissimamque concordiam ita efficerent, ut eorum co-existentia non repugnantiam, verum perfectam harmoniam secum ferret.

Sed quid plura? jam satis superque demonstravimus, societatem supremam humano generi legem esse, atque homines extra societatem nunquam exstitisse, neque existere potuisse. Et si vel omnes rationes, quas attulimus, negare velis, quod sane difficulter et vix nisi mala fide feceris, nonne tamen ex eo, quod totus terrarum orbis testatur, homines ubivis in societate vivere, et eos, qui a societate casu aberrarunt, (qui paucissimi inventi sunt), vix hominis similitudinem habere (1), nonne ex eo, inquam, satis manifestum est, nunquam humanum genus alium statum cognovisse?

Sed cum adversarios nostros sua cum ipsa natura hominum repugnantia non deterreat, quominus docere pergant, societatem ex hominum conventionibus originem habere, neque nos eorum pertinacia deterret, quominus conventionalem ejusmodi societatis constitutionem ob ipsum statum hominum, qualem sibi fingunt, non probabilem, imo impossibilem plane fuisse probemus. Qui nempe societatem ab hominibus conditam esse docent, non possunt, quin eos extra societatem aliquando vixisse affirmare cogantur. Ideo hominem in terram quasi conjectum, et omnis ratiocinii aut orationis facultate carentem, per agros et silvas vitam traxisse *supponunt: Je suppose* ita incipit ROUSSAVIUS, quem ducem multi secuti sunt. En primo mira valde philosophandi methodus! quod ipsi dubium esse agnoscunt, id postea tanquam verum et indubium audacter proclamant. — Sed secundo status ille antihumanus et perperam dictus naturalis, status vel *perpetui belli* vel *pacis* fuit: intermedium enim fingi non potest, nisi in mutuis belli et pacis transitibus. Sed qua lege illi transitus reguntur, et qua via, semel bello exorto, itur denuo ad

(1) Homo enim solitarius *non est homo, sed littus atque aër, et solitudo mera*, ut ait CIC. *Epist. ad Att.* I. 18.

statum pacis, casu et ad tempus sublato belli objecto? Si vero hoc statum primordium mutaret, idem erit dicere tigres v. c. aliquando in pace vivere, quia continuo praeda non adest. Nusquam ergo intermedium illud invenitur. Jam autem in prima hypothesi, cum brutis illis hominibus continuo belligerantibus nullae leges frenum aut modum imponerent, facile quidem intelligitur, eos sese invicem ad ultimum usque exstirpare, sed eos societatem inire potuisse, omnem captum superat. Qui vero statum pacis eligunt, (quae tamen inter homines rationis lumine et justis legibus plane destitutos quomodo constiterit nescio), haud meliorem viam ingrediuntur. Etenim quid hominem summa pace et tranquillitate fruentem impellere potuit, ut insuetae conditionis vicissitudines explorare voluerit? *Ignoti nulla cupido.* — Tertio tandem, quo pacto societatem sibi formaverunt? nec enim orationem, nec rationem habebant, ne cogitare quidem poterant. Quomodo igitur perspexerunt imbecillitatem suam, et quomodo intellexerunt simul se fore fortiores, si in unum convenirent? Hinc potius omnes, quo difficultatem uno ictu praeciderent, societatem *pacto tacito* fuisse initam dixerunt. Quaenam vero voci *tacito* vis inhaereat, penitus ignoro, nisi commoditatis ergo, ut nempe ab omni explicatione liberaret, hoc taciturnum pactum fuerit excogitatum. — Ex hisce autem omnibus (omitto plura alia argumenta) luce clarius patet, totum illum statum naturalem, quem ante societatem exstitisse *supponunt*, si rem suo nomine voces, nihil aliud esse quam miserrimam fabulam.

2. — Jam autem rebus illo modo perspectis, societatis progressio et origo civitatis facile explicari potest. Humanum nempe genus sponte sua a domestico seu nativo statu ad statum publicum seu naturalem pervenit; adeo ut domestica societas velut introductio fuerit ad civitatem, quae perfectissima habetur societas. Hanc naturalem civitatis originem nobis egregio loco significavit CICERO. « Prima societas, inquit, in ipso conjugio est, » proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id » autem est principium urbis et quasi seminarium reipublicae.

»Sequuntur fratrum conjunctiones; post consobrinorum sobrino-»rumque, qui cum una domo jam capi non possint, in alias do-»mus tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia et affi-»nitates, ex quibus etiam propinqui. Quae propagatio et soboles »origo est rerumpublicarum» (1). Et licet alii hanc civitatis originem male ludibrio habeant, nunquam perspicue magis illam per conventiones hominum explicabunt. Sic v. c. PUFEND. *de Jure Nat. et Gent.* lib. VII c. 1. § 5. eam docte refutat: «perinde est ac si quis dixerit, ex semine crescit arbor, ex »arbore *fiunt* trabes; hae inter se recte compactae navem con-»stituent: ergo naturali consecutione atque ordine navis est»!!!

Caeterum PUFENDORFII aliorumque sententia, qui, licet hominem non *animal sociabile* negent, inde tamen non sequi existimant, eum natura ad societatem civilem ferri, sed *mutuum metum* impulisse homines ut civitatem constituerent, multum a ratione et veritate abire videtur. Nam primo philosophiae eorum inconcinnitas ex eo maxime apparet, quod illa necessario requirat, ut hominum ingens multitudo una convenerit, quae de malis suis eorumque remediis mature deliberaverit, et tandem post deliberationem civitates condendas esse statuerit. Quod ab omni verisimilitudine est prorsus alienum, cum omnia humana instituta a tenuissimis oriri soleant initiis (*natura enim nunquam procedit per saltus*, ait LEIBNITZ), et conventus ejusmodi atque deliberatio nullo modo probari queant; nec praeterea homines bonorum vel malorum civitates concomitantium exactam satis notitiam habere potuerint, utpote quae longa experientia, post constitutas civitates, ad eos vix perveniat. Negata autem ea notitia, primum *pactum unionis* illudque insecutum *decretum* PUFENDORFII, totum corruat necesse est.

(1) *De off.* I. 17. — Add. *de finib.* V. 23: nihil est tam illustre,....caet. — Eodem fere modo BILDERDIJKIUS quoque nostras in opere *zielkundige verhand.* 3e *vertoog*, eam esse generis humani censet rationem, eam harmoniam et consensum, eam denique indigentiam, ut primum connubiis jungantur homines, inde in familias excrescant, e familiis vero in civitates coalescant.

Deinde vero quod ad *metum* ipsum attinet, observari velim, eum minime fuisse tantum, ut inde necessario civitates fuerint constituendae. Etenim cum ab hominibus fortuito concursu vel pacto aliquo conjunctis mala, quae metuebantur, inferri debuerint, rationem idoneam non invenimus, quare eadem ab hominibus similis nexus genere consociatis, non potuerint repelli, et quare adeo foedera non suffecerint, ut homines etiam extra civitates securitatem sibi obtinerent. Quamvis enim tunc Imperium civile eos ad servanda foedera non adegisset, tamen utilitas communis satis impellere potuisset, ut ea sanctissime servarentur; quemadmodum quae mutua utilitate sanciantur, ita servari solere, nec salutem hominum solius *pacti* vocabulo muniri, recte docet ipse PUFEND. *op. l.* lib. VIII. c. 1 § 9.

Hic vero subsistamus. Forsitan quis roget, quare tam diu in exponenda societatis origine morati simus. Ratio in promtu est. Mox enim ad Imperium civile transibimus, probareque conabimur illud quoque a natura profectum esse. Ergo quaestio de origine societatis ejusque ad civitatem progressionis magni nobis videbatur momenti: nam ubi admittimus societatem hominum pactis inductam fuisse, sententiam nostram de naturali Imperii origine non amplius firmo stare fundamento, lubentes confitemur.

3. — Exposita civitatis origine, videamus de summo Imperio. Ex superioribus scilicet, quemadmodum societatem, sic quoque civitatem a natura originem duxisse, perspicuum est (1). At neque hic substitit humanae naturae vis, nec contenta fuit hominem ad hominis societatem mutua rapuisse utilitate; praeterea voluit sic eorum conjunctionem efficere, ut perdurare nec facile convelli aut solvi posset. Is vero convictus, in quem jam suo

(1) In quam sententiam quoque afferre licet, quod habet ARISTOT. *Ethic.* I. 7. et 9: πᾶσα πόλις φύσει ἐστιν, εἴπερ καὶ αἱ πρῶται κοινωνίαι — et *Polit.* III. 4: φύσει μέν ἐστιν ἄνθρωπος ζῶον πολιτικόν. Quem locum aut alium huic similem attendisse videtur CIC. *de finib.* V. 23. ubi dicit: «natura hominis sic generata est, ut habeat quiddam innatum quasi *civile* atque »populare, quod Graeci πολιτικὸν vocant».

quisque ingenio ferebatur, nihil pacis, nihil quietis, libertatis nihil sine *Imperio* habuisset. Intercedebant enim ambitio atque avaritia, quominus officia sua singuli facerent, intra quorum observantiam communem salutem consistere natura voluerat. Accedebat, quod sui quisque juris suaeque injuriae judex vindexque erat. Ita cum alios error, alios ira, alios avaritia, alios alius affectus abriperet, ex immodestia lites, caedes vastationesque subsecutas brevi comperissent. Ut tantum igitur tamque incertum belli periculum arceretur, nihil potuit cuiquam beatius, nihil optabilius accidere, quam ut publicae utilitatis ac salutis custos et rector constitueretur, qui tuendae intentus societati, partium desideria, sine affectu, ex omnium usu, et audiret et componeret. Profecto haec fuit causa, qua homines induci potuere, ut magis alterius quam suo arbitrio regerentur, utque desinerent propriae vindices esse libertatis, nihilque jam vellent nisi quod omnibus conducere interpretaretur, qui summae rei praepositus esset. Quare etiam pronunciare non dubitamus, Imperii constitutionem non fuisse voluntariam, neque coactam, sed *necessariam*, id est, hominum in societate viventium naturae convenientem. « Estque igitur Imperans, ut eloquenter loquitur » Seneca, vinculum per quod respublica cohaeret, ille spiritus » vitalis, quem tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura nisi » onus et praeda, si mens illa Imperii subtrahatur » (1).

His itaque subductis argumentis constat, unam esse naturalem rationem, veram et *divinam*, quae prima hominem homini conjunxit, atque eam societatem, quia sine Imperio servari non poterat, Imperio regi et firmari jussit. Quo ipso etiam civitatem et Summum Imperium a prima illa atque aeterna lege naturae, sive *a Deo*, tanquam legis naturalis auctore, profecta censemus. Ipse enim non solum mundi materialis, ut ita dicam, sed etiam moralis est auctor, ac sicut omni naturae corporali, ita quoque naturae intelligenti suas dedit leges. Ideo cum hominem ad societatem creasset, ei simul facultates tribuit et affectus, quibus

(1) *De Clementia*, I. 4.

ad vitam socialem aptus nasceretur. Neque vero primos sociabilitatis nexus hominum inventionibus commisit, sed eos ex ipsa rerum natura, qualem instituerat, derivari voluit: solus quippe ordo, quo humanum genus perdurare, et augeri atque perfici jussit, aliis ut imperarent, aliis vero ut parerent, legem posuit. Sic mutua patrem inter et liberos relatio minime arbitraria est, siquidem patri, dum certa officia observare debeat, certis quoque juribus uti licet. Apud omnes vero gentes patrum auctoritas sacra, liberorum pietas inviolabilis creditur. Tanquam auctor familiae pater in eandem potestatem exercet, quin imo venerationis sensus quidam omnes descendentes communi stipiti jungit, et non solum patrem colit filius, sed et avum et proavum, ac post multas etiam generationes eum, qui primus auctor familiae fuerit, omnes amore et obsequio, si modo viveret, dignum haberent.

Ex hisce autem, si de *factis* quaeratur, quid in ipsis humani generis initiis statum civilem praeparaverit, facile perspicitur. Unusquisque scilicet paterfamilias potestatem habebat in proprios liberos, atque hi deinde in suos: communis vero pater in omnes alios omnesque eorum familias dominabatur: is autem *summatus* regiae potestatis velut species erat, adeo ut sensu quodam dicere liceat, hanc cum ipso genere humano natam esse, et primum patremfamilias primum fuisse regem. Verum cum deinceps multiplicarentur familiae, vincula subjectionis erga communem auctorem magis in diem laxabantur, diversaeque stirpes, licet ex eodem stipite natae, magis ab invicem distrahebantur; prima deinde morum integritate corrupta, ambitio atque avaritia turbas et dissidia concitare coepit: quamobrem ut auctoritas quaedam communis, sed ea magis efficax, constitueretur necessum fuit. Cum enim tanta jam esset rerum agendarum varietas, tantaque affectuum pravitas, ut, quid quo tempore agendum, quibusve modis omnium salus obtinenda, non ignorarent modo, sed et, etiamsi scirent, vix agerent, inde prudentia aliqua suprema opus erat, quae praescriberet et proponeret, quid et

quantum in commune bonum conferendum, quaeque immorigeros coerceret inque ordinem redigeret, ut exinde optime se haberet totum id, cujus quisque erat pars quotacunque. Tunc vero in quibuscumque mundi regionibus inter patresfamilias nonnulli apparuerunt, qui aetate aut virtute, qui sapientia aut viribus, ita omnium animos ad se converterent, ut iis sua sponte parerent (1). Hinc autem orta civitas, hinc statim atque natura homines in civitatem conciliavit, Imperii civilis potestas apparuit: ideoque, quemadmodum civitatem a familiis ortum habuisse compertum est, a magistratu oeconomico politicum fluxisse Imperium liquidissime patet (2).

4. — Verum enim vero ex eo quod Summi Imperii originem divinam esse arbitramur, minime intelligimus principes, quotquot sint, imbris more de coelo dimitti. Etenim origo Imperii consideranda est duplici modo, et *ratione juris*, et *ratione facti*. Unde autem Summum Imperium ratione juris producatur, sat supra ostendimus. Ratione facti, nobis ita videtur. Dubium quidem haud est, nec ullo modo negamus, Imperium *interveniente facto humano* ubique constitui: sed populus, quoties Imperantem sibi sive eligit sive ultro vel coactus accipit, *causa*, ut dicitur, *occasionalis* quidem Imperii est, non vero *efficiens*; adeo ut voluntarius vel coactus, expressus vel tacitus populi in unius pluriumve dominationem consensus, via quidem sit, per quam

(1) Quo modo etiam Imperium oriri in civitatibus Celticis narrat J. CAESAR in *Comm. de Bello Gall.* VI. 23: «Atque ubi in concilio quis ex principibus se »dixit ducem fore, ut qui sequi velint, profiteantur, consurgunt ii, qui et cau»sam et hominem probant, suumque auxilium pollicentur atque a multitudine »collaudantur: qui ex iis secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero »ducuntur, omniumque iis rerum postea fides derogatur».

(2) Sic BILDERDIJKIUS *op. l.* l. c. docet, ut e connubiis et familiis sponte mariti et patris auctoritas existit, ita quoque in civitate oriri Imperium, quod nihil est, nisi parentalis illius auctoritatis, seu patriae, si vis, potestatis, aut continuatio per extensionem, aut restitutio, si nempe aliquando interrupta fuerit. — Quod et ipse PUFEND., qui caeteroquin Imperium ex pactis, quibus civitas coaluit, permanasse contendit, *non adeo impossibile esse*, fateri cogitur. Vid. ejus op. l. VIII. 3. 6.

derivatur Imperium, non tamen fons ejus sit (1). In quem sensum THEMISTIUS Orat. XVI vere dicit: « nolite vos existimare, » hujus electionis milites esse auctores. E superis illa suffragatio » descendit; e superis illa Imperii renunciatio, hominum duntaxat opera accedente, perfecta est.» Quare etiam Imperatores Orientis ΘΕΟΣΤΕΦΕΙΣ, Occidentis A DEO CORONATI dicebantur, et hodierni monarchae se tales *Dei Gratia* esse profitentur. Nec in electivis quidem regnis reges a se potestatem accipere, populus existimavit. Sic in Polonia Rex electus his verbis consalutari solebat: «Hunc..... Regem Poloniae et Magnum Du- » cem Lithuaniae dicimus et renunciamus, Deumque deprecamur » ut in exercitio hujus celsissimae dignitatis dignetur sustentare » eum, *quem Ipse destinavit ad regendam hanc nationem;* ut- » que *Ipsi* placeat, hanc electionem Reipublicae faustam et felicem » reddere». Sic quoque olim in Suecia Rex electus in solium ducebatur hisce verbis: «Sta, et retine locum tibi *a Deo delegatum*».

Neque tandem aliquid contra sententiam nostram valet argumentatio ista: *in arbitrio populi est, quanam Imperii forma gubernari velit: ergo Imperium a populo procedit.* Probe enim distinguendum est inter ipsam Imperii potestatem et modum illud exercendi. Hic quidem pro diversis populorum moribus et ingenio mutari potuit, sed fons et natura Imperii ubique eadem fuit. Et si vel maxime dici possit, varias Imperii formas ab hominibus inventas esse, verissimum utique manet, statum civilem ex ipsa natura adeoque a Deo manavisse. Hominibus quidem inter varias, quae sunt vel excogitari adhuc possunt, Imperii formas optare omnino licet, sed ex iis semper unam alteramve eligant necesse est, nisi in feritatem degenerare, aut anarchiae impiis furoribus miserisque dissidiis perpetuo obluctari velint. Quo sensu igitur sequentia plana sunt: ut civitas sit civitas, fi-

(1) Sicuti in pluribus municipiis electio magistratuum est penes ordinem, et tamen illi potestatem suam, non ab isto ordine, sed a Summo Imperante obtinent.

nemque suum assequatur, institutus a Deo ordo imperandi atque parendi, in quo aliquid summum sit ac a nemine dependens, quae est summa potestas civilis. Id tamen, immediate saltem et proxime, factum humanum esse, utrum summa illa potestas, (quam ipsi tamen non ideo tanquam ex se profluentem conferunt), *uni* committatur an *pluribus* et quibus modis status reipublicae describatur.

5. — Nihil ergo magis ineptum est et perniciosum, quam omne civitatis et Imperii fundamentum in hominum arbitrio, id est, *in pacto civico*, quod vocant, reponere. Si enim civitates hominum conventionibus coaluerunt, et si pacto quodam omnes convenerunt, ut libertatis partem minorem majori parti servandae concederent, eamque Imperanti submitterent, quo reliquam partem salvam haberent, unde jam repetenda est reciproca obligatio, quae subditos inter et Imperantem intercedit? An ex pacto isto civico? Sed in eo ab una quidem parte non nisi promissionem video obsequii praestandi, quae tamen promissio officium, quod nunquam praeterire licebit, minime constituit: nam ex ipsa libertate primigenia, cujus partem majorem retinuerunt, partem minorem, quam Imperanti submiserunt, quotidie repetere poterunt, eorumque liberi, qui in eadem libertate nascentur, eadem facultate multo etiam magis utentur. Ab altera vero parte non nisi promissionem civitatem gubernandi reperio, quae haud melius officium certum producit: nam ejusmodi Imperanti, ex sua iterum libertate, potestatem pro lubitu exercere vel deponere licebit. Atque eo modo aut rebellionibus aut libidini et oppressioni via facillima sternitur; eaque civitas continuis turbetur dissensionibus necesse est. Nisi enim omnium saeculorum testimonia recusare velis, negare non potes, in magnis coetibus humanam rationem infinitas ad se trahere difficultates, et quod unus certum et expediens reipublicae existimat, id alteri dubium et damnosum videri. Cui rationis hominum infirmitati si jungas affectuum et privatarum utilitatum agitationes,

fateri cogeris, hujusmodi civitatem non fore societatem, sed dissociationem maximam.

Caeterum qui voluntatem populi omne civitatis et Imperii fundamentum esse contendunt, non possunt, quin statim in ipso limine quaestionis in miseras contradictiones et inconsequentias incidant. Scilicet primum docere incipiunt, nullam juris securitatem extra civitatem ne cogitari quidem posse; mox verò pronunciant, omnes, qui, ut hanc obtineant, in civitatem convenire cupiunt, necessario cogi, ut certam quandam partem illimitatae suae libertatis, et certam quandam partem illimitati sui juris rebus et personis suis pro arbitrio utendi, ad constituendam civitatem concedant. Sic autem, quod ipsi prius negarunt, ante et extra civitatem dominium et libertatem haberi posse declarant. Ex eorum repugnantiis quaenam vera sit, inquirere nolumus; sed si priorem admittamus, cur opus est civitate? Nam si extra civitatem libertas et dominium satis defendi queant, quid proderit in civitatem coire? Sane ejusmodi societas, in hoc rerum casu, nullam prorsus utilitatem, nullum finem habebit. Et ex diverso quoque si dicamus, extra societatem politicam nullam juris securitatem, atque ob id ipsum nullum jus obtineri posse, quomodo igitur partem aliquam jurium suorum ad constituendam civitatem conferre potuerunt? et quomodo ex diversis ejusmodi collatis partibus nasci potuit totum aliquod inseparabile?

Apparet itaque eos, qui civitatem et Imperium ex hominum conventionibus oriri judicant, incertis plerumque assumtionibus inhaerere, quas tanquam opinionum suarum fundamenta adsciscunt, et quibus suarum argumentationum aedificium tutè superstrui posse existimant. Voluntas quippe hominum nihil aliud iis est, quam privatorum arbitrium; sed cum arbitrium illud, uti ipsi agnoscunt, nullum jus producere queat, non vident, nec civitatem ex arbitrio isto vel ex parte ejusdem aliqua oriri potuisse. Hinc inconcinnitates, incertitudines et repugnantiae plurimae, quibus doctrina eorum laborat. Sic ut mutuam hominum

inter se aequalitatem probent, hoc argumento utuntur: «Om»nes homines, tam Imperantes, quam subditos, tam servos, »quam dominos, iisdem malis, vitaeque incommodis et necessi»tatibus obnoxios esse», — et sic statim causam vicisse arbitrantur, cum ex suo argumento sponte quoque inferant, non etiam naturam quemquam alteri subjecisse, «quoniam, uti »ajunt, physicae et morales superationes non huic illive generi, »vel huic illive conditioni hominum, exclusis aliis, propriae »sint». Videtur tamen ingenii acumen haud magnum requiri, ut ejusmodi argumentorum ineptias deprehendere liceat. Etenim ab una quidem parte mala et necessitates sive indigentiae, quibus omnes homines ob ipsam naturam pariter subjiciuntur, ad rem, de qua agitur, nihil omnino faciunt. Sine dubio Imperantes aeque ac subditi fame, siti, febri, caeterisque morborum malis laborare possunt, imo solent; verum an inde sequi dicemus, regem non superiorem esse subdito? — Ab altera vero parte non intelligimus, ubi de hominibus loquuntur societatis vinculo nondum conjunctis, qua ratione Imperantium et subditorum, servorum et dominorum distinctiones ab iis afferantur. Non enim extra civitatem dari possunt Imperantes aut subditi, et distinctiones illas omnes post constitutam demum civitatem locum accipere dubitari nequit. Si vero adsint Imperantes et subditi, hi simul etiam civitatem et Imperium adesse probant; et facta distinctione inter Imperantes et subitos, negari non potest, Imperantes non subditos, nec subditos Imperantes, nec eos adeo aequales sibi invicem esse. — Tandem sanae quoque rationi atque ipsi experientiae quam maxime adversatur, varios inter homines conditionum, honorum, dignitatumque gradus non a naturali quadam inter eos inaequalitate repetendos esse. Honoris enim et dignitatis notio ultro ostendit, alios animo ingenioque esse superiores, alios vero inferiores; atque ubi alios imperare, alios parere videmus, multo aequius et rationi magis consentaneum est, hanc eorum subjectionem in morali quadam imperantium praestantia quam in libero illorum arbitrio reponere.

Etenim, ut sese, aliis ex solo suo arbitrio subjiciant, ipsa ratio vetat; verum ubi se submittant iis, quos animi corporisve viribus se superare vident, nihil contra rationem agunt, cum ita sese subjiciunt velut legi alicui naturali, quae ex privatis eorum opinionibus, atque adeo ex eorum arbitrio haudquaquam pendet. Morales enim ejusmodi praestantiae ex ipsa natura, invitis etiam hominibus, perpetuo existunt; et Imperium, quod earum omnium summum est, adeo in ipsa hominum natura nixum et fundatum est, ut insulsum plane sit, illud a voluntate hominum repetere.

Semper igitur, quoties de constituenda civitate disputant, populum et Imperantem jam antea adesse statuunt. Atque eo modo ex Imperante quasi viatorem faciunt quaquaversum errantem, ut populum offendat, quocum sub certis conditionibus contrahat, et a quo mandatum suscipiat, non quidem *in rem suam*, sed donec revocetur, et salvo jure populi rationes ab eo exigendi, de quibus et quoties ipsi placeat. Similiter populum jam tum constitutum et deliberantem inducunt, an hunc illumve Imperantem, sub his illisve conditionibus, tanquam generalem suum mandatarium admittere velit necne....... Sed quid diutius hisce immoremur? Apertum enim est, cum populo simul Imperantem, cum Imperante simul populum supponi, atque eos ipsos ita fateri, Imperium non arbitrarium quid esse, nec *per deductionem* quandam oriri, sed necessariam partem universi efficere, quae non ab aliis, sed velut a se ipsa initium capiat. Hinc autem eorum sententia, qui potestatem Imperii a Deo derivari et Dei voluntate niti existimant, omnino probanda videtur, quippe quae manifeste significet, Imperium, ut existat, ex hominum voluntatibus sive privatis sive collectivis nullo modo pendere.

6. — Exempla vero, quae ab adversariis nostris solent afferri, quo majorem opinionibus suis veritatis speciem obtendant, potius ipsam eorum doctrinam funditus evertunt, eosque in omni hac re longissime a vero aberrare, plus etiam coarguunt.

Plerique enim apud Germanos *Auream Bullam* et *Capitulationes*, apud Polonos *Pacta Conventa*, apud Anglos *Magnam Chartam* allegant tanquam leges fundamentales positivas per pacta sive conventiones factas. Verum facile videtur probatu, haec minime pacta vel conventiones fuisse. Sed quo magis ordine progrediamur, primum quidem ex ipsa pacti notione monstrare conabimur, nullam legem fundamentalem pacto vel conventione constitui posse: deinde vero singula, quae memorantur, exempla ad examen revocabimus.

Quid enim est pactum? respondetur pactum esse conventionem inter duas pluresve personas initam. Pactorum vero vis omnino nititur jure positivo, quocum adeo, ut valere possit, convenire etiam debet. Ergo ubi de pacto cogitamus, simul de jure positivo aliquo cogitemus necesse est. Verum extra civitatem jus illud haberi nequit, id quod tam universe de omnibus quam de pactis sive conventionibus valet, quum juris positivi ea est natura, ut necessario potestatem aliquam, cujus ope defendi et vindicari possit, requirat. Essentialia vero conventionum requisita, ex quibus vera obligandi causa producitur, ubique definita sunt, eaque omnia jure quoque positivo niti nemo inficiabitur. Jus autem positivum nihil aliud est nisi eorum, quae *per se* justa sunt, ad relationes hominum in societate viventium accommodatio: unde merito dici potest, jus demum in civitate revera existere sive efficacitatem accipere. Antehac enim quasi germen quoddam est, quod terra compressum absconditur, e quo deinceps in lucem prodit veluti arbor undique diffusa ramis et fructibus utilissima. Et quemadmodum germen extra terram nunquam excrescit, nec arbor fieri potest, ita quoque jus in sola civitate externum redditur sive exerceri potest et velut *esse* incipit. In civitate demum homo existit vere humanus, rationes contrahens cum similibus, utpote in qua *voluntatem* et *libertatem* et *jura* acquirat et hoc modo *persona* fiat. Atque in civitate oritur dominium, ex dominio nascuntur pacta, et ex pactis rursus causa dominii. Pacta vero

ponunt paciscentes esse *rerum suarum dominos*, esse *personas*; quod tamen extra civitatem esse nequeunt, cum in sola civitate, ut modo vidimus, adsint personae et dominium.

Porro, si consilia Jurisconsultorum tam veterum quam recentiorum adhibeamus, eos omnes consentire videmus, quodlibet pactum circa objectum externum versari debere, quod alienari possit, sive sit corporale sive incorporale cujus pretium definiri et pecunia solvi possit; quodcumque vero externum non sit, aut alienari nequeat, neque pacti seu conventionis objectum efficere posse. Jam autem alienari sine dubio nequeunt ejusmodi bona vel potius animi affectiones, quae hominem faciunt, quaeque ad conscientiam sui pertinent, quales sunt *libertas*, *vis moralis*, *religio*, caetera. Ex quibus igitur nulla in pacti conditiones venire potest: non enim conventionibus mutari aut minui possunt; nec pars earum vendi aut locari aut quocumque alio modo cedi potest, cum nec arbitrio, nec adeo duorum pluriumve consensui subjecta sint. Nam et hoc etiam animadverti debet, in pacto contrahentes omnia ex pleno arbitrio agere. Licet enim iis stipulari, quae velint, modo publici juris fines non egrediantur. Inde quoque pactum solos contrahentes, non vero alios obligat; estque arbitrarium, sive voluntarium, sed hoc ipso fortuitum et temporarium, *et jura, quae ex eo nascuntur, praescriptionibus amitti possunt.*

Jam vero, ut leges fundamentales pactis sive conventionibus constitui possint, necessario requiritur ex iis quae supra novatimus:

1°. Ut illae ex arbitrio paciscentium pendeant;

2°. Ut solum versentur circa res, quae pacti objectum efficere possunt;

3°. Ut paciscentes omnes in se habeant qualitates, quibus juridicam paciscendi capicitatem consequuntur. Ergo rerum, de quibus in pacto convenitur, debent esse domini;

4°. Ut habeatur jus quoddam positivum, quod supra pactum illud sit, quodque fines ejusdem definiat;

5°. Tandem, ut adsit potestas aliqua, quae paciscentibus superior sit, cujus ope jus illud possit vindicari.

Singula paulo accuratius inquiramus.

Primo quidem, si legem fundamentalem ex arbitrio Imperantis et populi pendere contendas, perinde est ac si dixeris, ex arbitrio hominum pendere, num velint condere civitatem necne, et cuivis homini liberum esse, velitne hujus societatis socius fieri. Verum ipsa haec libera civitatis constituendae facultas, ipsum illud arbitrii exercitium, notitiam civitatis necessario includit, cum ad constituendam civitatem voluntatem designare nequeam, nisi sciam, quid sit civitas, deque ea deliberare possim. Ex quo tamen iterum consequitur civitatem jam tum existere, nam quod non existit, nec cognitionis et deliberationis objectum fieri potest. Ergo, semper ad absurda redeas necesse est: aut enim fateri cogeris civitatem esse antequam sit, aut illam rem esse, quae per se ipsam absque hominum facto existit, et de qua notitiam sibi comparare possunt, si velint, ut habita inspectione, si placeat, admittant eam, vel, si non placeat, rejiciant. Utriusque vero enunciationis fallacia satis manifestari nec refutatione indigere credimus.

Deinde vero legem fundamentalem ex pacto derivari non posse, magis etiam apparet, si consideremus nec jus (universe sc., non inter certas designatas personas), nec libertatem, nec religionem, caeteraque similia pacti seu conventionis objectum esse posse. An enim pacto definiri potest, quid sid jus, quid sit libertas, quid sit religio? Numquid de iis transigere licet? Numquid jus, libertas, religio in privatum redigi possunt dominium, quo possint a singulis ad constituendam civitatem concedi? An singuli certam partem quandam juris aut libertatis aut religionis habent, et ex collatis partibus totum jus, tota libertas, tota religio conflatur? Vel an singuli suum jus, suam libertatem, suam religionem habent, et ex collatis juribus communio fit, ita ut iis praeter suum etiam aliorum jure, aliorum libertate, aliorum religione uti liceat? Dixeris forsan nos exaggerare nimium, et pactum ad nihil aliud spectare, quam ut jurium defensio tertio cuidam deferatur. Sed regeram, ubi jura me-

moras, simul requiri, ut ab hominibus ea agnoscantur, utque obligatio ea servandi existat. Agnitio autem ista atque obligatio locum habere non potest, nisi adsit certum praesidium quo jura vindicari et defendi queant; ita ut juris defensio ipsa juris notione contineatur, cum absque ea defensione jus non habeat efficacitatem aliquam, atque adeo revera nullum sit. Sic vero, posito jure, civitatis formam qualemcunque adesse rursus arguitur: quo tamen ipso omne pactum redditur supervacaneum, cum quod pacto constituendum esset, jam ipsa rerum natura consistat.

Tandem, ut ad ea, quae sub 3o., 4o., et 5o. supra proposuimus, dicamus, quum ante constitutam civitatem nec jus nec pactum cogitari potest, hinc de requisitis quoque vel pactorum, quibus civitates constituantur, vel personarum, inter quas pactum contrahatur, certum quidem nihil praefinire licet. Quis enim extra civitatem paciscentium capacitatem dijudicare posset? Ac si quem judicem indicaveris, ipse ultro probaveris, jam adesse potestatem, quae paciscentibus superior sit, et cui de iis judicium ferre liceat. Verum id rursus locum obtinere nequit, nisi simul adsint institutiones quaedam, secundum quas de juribus eorum judicium feratur. Atque ubi institutiones ejusmodi reperiuntur, ibi civitas etiam qualiscunque inveniri debet, neque amplius de constituendo, verum dumtaxat de confirmando Imperio agi potest, sive id nunc fiat a solo Imperante, cui institutionum illarum observantiam tuendi officium incumbit, sivo ab Imperante una cum peritissimis et potentissimis de populo. Sed etiam quod hoc modo scriptis mandatur, pactum neque est, neque nominari potest, non magis quam ipsae relationes civium inter se, vel quae de moribus, deque educatione, aliisque ejus generis definiuntur. Verum sic potius haec omnia, postquam paulatim, prout cultiora evadunt tempora, in populo emendata atque reformata fuerint, ad modum politicae ordinationis, tanquam norma agendi in posterum praescribuntur; et sic revera tanquam fundamenta

ponuntur, quibus nitatur civitas, sive aliis verbis, partem efficiunt legis fundamentalis illius populi (1).

Hisce vero praemissis festinamus ad ipsa exempla, quae ab adversariis allegantur, ut probemus, ea, non solum si ipsam naturam rei sive rationem attendas, non fuisse leges fundamentales ex conventionibus compositas, uti ex iis, quae modo supra exposuimus, patet; sed quoque si facta sive historiam spectes, pacta dici minime posse, nec iis ullo modo civitatem aut Imperium constitutum fuisse.

7. — Nimirum in Germania, Anglia, Polonia, revera aderant populi et civitates, quin imo jam diu exstiterant, quum *Aurea Bulla*, *Capitulationes*, *Pacta Conventa*, *Magna Charta* promulgarentur. Neque igitur agebatur de constituenda civitate, sed, haec jam diu constituta erat, licet forsan non eo modo, qualem perfecta civitatis notio exigebat. Falsissimum itaque est, in supra memoratis regionibus certam quandam hominum multitudinem, nullo hucusque societatis vinculo inter se conjunctam, in alium quendam hominem Imperium per conventionem et ad modum mandati contulisse, ea conditione, ut unusquisque eorum jus sibi retineret mandatum illud, pro sua parte, revocandi. Sane eo ritu nullam prorsus civitatem constitutam invenimus: idque adeo notum est, ut ob hanc solam rationem revera mirandum sit tot viros eruditione praeclarissimos doctrinam amplecti, quae factis superstruitur, quorum ne unum quidem exemplum afferri potest.

Erat itaque populus, erat Imperium, erat civitas, et haec civitas non dies aliquot ante promulgationem Aureae Bullae dissoluta fuerat, ut iterum hac Bulla reficeretur; sed eadem civitas ante et post Auream Bullam continuo fuit, quae licet perficeretur et quasi renasceretur, non tamen gubernari cessavit unquam, aut Imperii,

(1) Hucusque, ad refellendas aliorum opiniones, disputavimus solum, legem fundamentalem positivam nunquam pactum vel conventionem populi cum Imperante dici posse; quid vero nobis lex fundamentalis proprie esse videatur, infra tradемus.

quod tunc erat, legibus parere.

Deinde vero, si ipsam Bullam Auream inspiciamus, nihil in ea, quod pacti speciem habeat, invenire licet. Ab omnibus enim auctoribus politicis docetur primarium finem Aureae Bullae in eo situm fuisse, ut Imperatorum electio, et quae ad eam pertinebant quantum fieri posset, ad certam definitamque rationem in posterum ducerentur. Unde patet, Auream Bullam nihil fuisse nisi *legem Imperii* (1) ab Imperatore, adhibito Electorum consilio, latam, eamque vere actum quendam gubernationis continuisse, quo ipse Imperator, qua talis, formam electionum in posterum definivit. Nec igitur in ea de pacto contrahendo quaestio ulla fuit. Quod etiam confirmatur magis ex eo, quod eadem Bulla de *jure diffidationis* cavet. In confesso enim est jus illud pacti objectum efficere non posse, nisi fingas, etiam exercitium ejusmodi juris pacto dari posse, sive ex arbitrio privatorum pendere, num ejus facultatem limitari patiantur necne, quasi *jus diffidationis* jus quoddam acquisitum eorum esset: id qnod absurdum nimis est, quam ut admitti possit. Constat igitur *Bullam Auream*, hac quidem ratione, mere fuisse legem poenalem, qua delictum arceretur, quo universa Germania tunc temporis infestabatur, et quod naturae civitatis quam maxime adversum erat, quippe in qua *nemini licet sibi jus dicere*, nec privatus quisquam definire potest, quid justum sit, aut quod ipse pro justo habuerit, privata auctoritate vindicare.

Nec vero magis Capitulationes pacta dici possunt, quum pactorum naturae nulla ratione conveniant. Imo potius dicendum videtur, eas germanae civitatis notioni quam maxime fuisse oppositas, et abusus ejusmodi, si forte olim obtinuerint, hodie non amplius tanquam exempla, quae imitari liceat, allegari posse. Caeterum *promissiones*, quas principes electi populo

(1) Et quod notandum, nomen illud legis Imperii (*rijkswet*) apud omnes omnino scriptores habet: eam vero Imperii pactum (*rijksverdrag*) vocari, nullibi invenies.

praestabant, et quibus declarabant, se regnaturos secundum modum a decessoribus usurpatum, atque se non egressuros limites, quos illi servaverant, minime pactum erant, quo populus iis certas conditiones praescriberet, sed mere actus quidam Imperii, quo ipsi Imperantes regendi modum, jam antea in civitate receptum, suum etiam fore testabantur. Nec iisdem promissis constituebatur Imperium, utpote quod jam tum constitutum esset, sed tantum suscipiebatur et velut adiebatur electio in personam principum lata, quae ipsa aditio obligationem suggerebat, ut conditiones secundum quas tunc temporis in civitate regnari solebat, non violarent, sed iis submitterent sese; quamvis nonnunquam haec eorum submissio velut nuda formula fuerit, uti quidem ex regno CAROLI IV haud uno exemplo videre licet: ex quo tamen manifeste apparet, populum adversus Imperantem vi pacti, quod cum eo iniisset, nullo modo agere potuisse. Nec mirum: quis enim inter populum et principem jus dicere, et pactum tueri debuisset?

Quae vero de Capitulationibus diximus, valent quoque de *Pactis Conventis*, licet haec ipsum etiam nomen pactorum ferant. Non enim quisquam qui sapit a nominis Grammaticali significatione ad rem ipsam concludet. Quare, si tamen ex vanis nominibus aliquid contra opinionem nostram inferre volueris, ad argumenta nostra, quae supra attulimus, omnino provocamus.

Tandem videamus de *Magna Charta*, quae ultimo loco ab adversariis inter leges fundamentales ex conventione populi profectas memoratur. Magna Charta proprie quidem non nisi renovatio fuit *Chartae Libertatum*, ab HENRICO I anno 1100 promulgatae. Hujus nempe pater GUILIELMUS I *Conquaestor* ex Normannia, in qua dux fuerat, constitutiones feudales in Angliam introduxerat (1066). Indignabantur autem nobiles feuda maximam partem Normannis dari. Nihilominus GUILIELMUS novas, quas induxerat, institutiones magis magisque extendere perseveravit. Cui successit GUILIELMUS II *Rufus* (1087). HEN-

ricus *Clericus* vero, guilielmi II frater, ubi ad regnum pervenisset (1100), systema feudale a patre suo inductum, aliquantum temperare studuit. In quem finem promulgavit *Chartam Libertatum*, qua populo et praesertim Nobilibus multa ac magna privilegia concessit. Hunc vero secuti sunt henricus II dux Andegaviae (1154); deinde ricardus I *Cor Leonis* (1189), a quo jus feudale denuo propagatum; et denique johannes *sine terra* (1199), qui magnos vasallos a se ita abalienavit, ut tandem viribus confisi bellum ei indicerent, eumque ad summas angustias redigerent. Tunc Rex, necessitate coactus, adhibito consilio procerum, Magnam Chartam (*the great Charter*) promulgavit (1215), qua privilegia vasallorum et praecipue *Magnorum Baronum*, uti vocantur, confirmavit; populoque prospexit cavendo, ne mercatores vectigalibus et portoriis arbitrariis premerentur; ne tributa imponerentur sine consensu magni concilii, caet.

Ea autem omnia facta sunt postquam Anglia per plura jam saecula exstiterat; et quo modo Magna Charta pactum dici possit, quod inter populum et Imperantem convenerit, me prorsus ignorare ingenue fateor. Nam sedulo observandum, ad illam conficiendam populum, qui talis vulgo dicitur sive plebem, se mere passive habuisse, et solos Nobiles, ut ea promulgaretur, primum ansam praebuisse. Hinc igitur valde mirum videtur pactum, quod inter populum et Imperantem convenisse fertur, et cui tamen insignis pars populi nullo modo interfuerit. Sed etiamsi hoc non ita obtinuisset, res tamen ipsa idcirco non mutaretur. Imperium quippe constitutum jam erat, licet in quibusdam vitiose se haberet, praesertim ob inconstantiam principum. Inde autem Magna Charta non pactum fuit, sed ex ipsa temporum rerumque conditione nata est, atque ita generali societatis voluntate constituta est, quae nunquam arbitrarie agit, sed pari passu cum ipsa natura et tempore procedit, quaeque Imperio exprimitur ac declaratur. Quare igitur tam historiae quam rationi conveniens est dicere, Mag-

nam Chartam non a pacto inter populum et Imperantem, sed ab Imperio, quod tum erat, profectam esse. Ipse enim Rex, adhibito concilio procerum, novam hancce legem Imperii promulgavit: quo omnis pacta idea tollitur, nisi etiam hodie unamquamque legem a Rege, communi adhibito O. O. G. G. consilio, latam, pactum esse velis. Quod vero quam absurdum sit, vel uno exemplo perspicere licet, si animadvertas, ex eo totum jus criminale pactum esse dicendum, quanquam citra omnem controversiam notum sit, *de delictis pacisci non posse.*

In superioribus itaque probavimus voluntatem populi civitatis et Imperii fundamentum esse non posse; atque ex exemplis, quae objiciuntur, ostendimus, nunquam Imperium pacto constitutum fuisse. — Et profecto ubi civitas et Imperium pacto seu voluntate civium nitatur, omnia horum arbitrio committerentur, atque ipsum Imperium et quae ex eo derivantur munera publica, privatorum dominium fierent. Quo mox totum reipublicae corpus dissolutum iri, nemo est qui non videat.

Caeterum, quae ex pacto civico proxime deducitur, doctrinam de Summo Imperio penes universum populum, sequenti § inquiremus, ubi in ipsa Imperii natura explicanda versabimur.

II.

DE IMPERII CIVILIS NATURA SEU AFFECTIONIBUS.

Imperium civile summum atque sanctum est. — Doctrina de summa potestate penes populum (*volks-souvereiniteit*) rationi rerumque naturae adversatur, nec non historia et factorum experientia manifestissimae falsitatis arguitur. — Imperium porro unum est ac indivisum.

1. — Imperium, quod uti vidimus, in omni civitate existat necesse est, et quo velut anima illa vivit ac libratur, potestas

est civitatem gubernandi sive administrandi et quidem ita, ut actus ejus humanae voluntatis arbitrio, tanquam superioris, non possint infirmari. Hinc inter affectiones Imperii primo loco occurrit, quod sit et dicatur SUMMUM. Neque eo tantum sensu hoc nomen ei competit, quod nihil eo superius sit, nihil cui subditum, sed praesertim quod a rationibus reddendis sit immune, iisque subjici nequeat (1). Societas enim civilis corpus morale est, quod non nisi unam voluntatem habere intelligitur, ideo quod homines, postquam, natura duce, in civitatem coiissent, suam privatam singuli voluntatem quasi amiserunt, ut hoc modo suprema voluntas quaedam, id est, Imperium efficeretur. Voluntas igitur Imperantis est voluntas generalis societatis totius, est velut ratio communis, lex publica et universalis, a qua nemo recedere sine piaculo potest (2).

Ex eo autem, quod Imperium summum sit, multi male deducunt, illud quoque *legibus plane solutum aut superius* esse. At non solum decorum est et ad auctoritatem legi addendam proficuum, ut se legibus alligatum profiteatur Imperans, quodque a civibus tanquam bono communi inserviens exigit, id etiam ipse servet; sed nec sinit justitiae gubernatricis ratio, ut

(1) Quare summitatem illam ARISTOT. *Pol.* IV. 10. vocat τὸ ἀνυπεύθυνον; GROT. *op. l.* I. 3. 7. 1. *cujus actus* alterius juri non subsunt; — PUFEND. in *Spec. Jur. Publ.* VI. 8. 14. Imperii *immunitatem*.

(2) Inde est quod Imperantes loquuntur *nos*, privati *ego*. Cave tamen ne putes, *voluntatem generalem* civitatis (*algemeenen wil*) idem esse ac *voluntatem popularem*. Voluntas enim populi, etiamsi foret unanimis, nihil semper est nisi collectio *voluntatum privatarum*, quae *voluntatem generalem* efficere nequit. ROUSSAVIUS, qui voluntatem popularem ubique facit voluntatem generalem civitatis, eas tamen distinguere nonnunquam cogitur. Sic v. c. ait: «Quand »le peuple d'Athènes, nommait ou cassait ses chefs, décernait des honneurs à »l'un, imposait des peines à l'autre, *il n'avait pas de volonté générale. Contr.* »*Soc.* II. 4». Generalis autem voluntas ex naturalibus sive necessariis hominum in societate viventium inter se relationibus consequitur. Quae una semper et constans est, quaeque per leges declaratur seu exprimitur, et per Imperantem, qui lex viva est, exercetur seu externa redditur. Generalis itaque civitatis voluntas et natura, synonyma sunt.

qui aliis onera saepe gravia imponant, ipsi non digito velint ea movere. Itaque si naturae jus respiciamus, quod semper tendit ad optimum et eum dictitet esse legislatorem, qui sit omnium justissimus, non est dubium quin illa praecipiat, quod quisque in alios statuerit, ipse eodem jure utatur (1). Studeat igitur Imperans, ut legum suarum non inventione magis quam exemplo sit clarior; siquidem excitando subditorum obsequio, eos ita facilius obedientes habebit. *Componitur orbis Regis ad exemplum.*

Nec vero quis Imperii reverentiam ita deprimi contemnique putet. Quod enim cum leges scribat, ipse quoque legibus pareat, non tantum de dignitate ejus nihil quidquam detrahitur, verum et insignis hinc illi oritur laudis accessio: legis enim observantia in subditis quidem superioris potestatis obsequium, in Imperante vero aequitatis studium est.

Omnino igitur Imperans legibus subjectus est; et quidem legibus fundamentalibus, quia sine illis Imperans non est; legibus politicis, quia modum definiunt, quo debeat existere in civitate; legibus denique civilibus, quia pars est communitatis, cujus partes omnes componi debent ad rationem universi. Solis vero legibus poenalibus subjectus esse nequit. Si enim persona Imperantis aliis hominibus rationes reddere deberet, generalis societatis voluntas, cujus exercitium est, subjiceretur voluntatibus privatis, ipsaque lex ministris suis: id quod absurdum est.

2. — Habet denique summum Imperium peculiarem quoque *sanctimoniam*, ut non solum ejus jussis vi resistere nefas sit, sed et ejus asperitas, non secus atque a liberis parentum morositas, a civibus sit ferenda.

Atque illud axioma adeo verum est, ut receptum sit in omnibus monarchiis, in quibus velut praesidium regum et populorum

(1) Nihil tam proprium Imperii est quam legibus vivere, est in l. 3 C. *de testam.* — Quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. l. 4 C. *de leg. et constit. princ.* — Jus nobis cum privatis non dedignamur esse commune. l. 68 C. Theod. *de appellat.*

est. Post luctuosa tempora anni 1648 Anglia, ex deliratione sua resipiscens, ut parricidium, quod perpetrasse execrabatur, non iterum perpetrari posset, idem axioma in constitutione sua scripsit. In Francia quoque *coetus nationalis* anno 1790, cum jam demagogi ad caedem regis spectarent, illud servavit, ac forsan ideo vel maxime multi ex delegatis hoc fundamento novam constitutionem superstrui tunc curaverunt, quoniam populum Francicum in sua licentia Anglos etiam superaturum jamjam praeviderent. Ast vero hodie vocabulum sanctitatis aut inviolabilitatis propter nomen regis saepe deridiculo est. Dum scilicet populi infeliciter agant aut calamitate quadam premantur, multi statim reges tamquam omnium malorum causam accusare, atque hujus criminis comparationem verbis popularibus adornare, vix umquam desistunt. Numquid vero istud societatis ordo est? sane incredulus nego, nec quodquam aliud scio, quod generoso civi dolorem ac simul sollicitum metum magis injicere posset.

Equidem non dixerim cum HOBBESIO injuriam a principe in cives fieri non posse: officium enim principis vel singulos vel universos spectat. Universis hoc debet, ut totius civitatis salutem procuret; singulis vero ad id tenetur, ut omnes eodem jure frui sinat. Quod si iis non praestet et potestate sua abutatur, utique injuriam facit: *ubi* enim *jus desinit*, *ibi incipit injuria*. Verum stolidum profecto fuerit ob quaslibet injurias in principem velle insurgere, praesertim cum neque nos ita accurate officium erga ipsum faciamus, et in privatis quoque leges leviora delicta soleant dissimulare. Accedit, quod nec domestica consistere societas posset, si ignoscere subinde aliis alii recusaremus, id vero inter pares et familiares si locum habeat, quanto magis erga principem et superiorem obtinere debet? Quamobrem leviores principum injuriae nobili ipsorum muneri, caeterisque beneficiis, quin et toti reipublicae sunt condonandae, et *quomodo sterilitatem aut nimios imbres et caetera naturae mala, ita luxus vel avaritia dominantium toleranda* (1).

(1) Ut recte ait Cerialis apud TACIT. *Hist.* IV. 74.

Sed nec ferendi sunt qui ita crude jactant, principem, ubi in *tyrannum* degeneravit, posse a populo Imperio exui et puniri. Vix enim est ut manifestum esse queat, principem eversionem reipublicae moliri. Nisi enim furiosus fuerit, non temere perniciem populi quaesiverit, et exempla etiam, quae memorantur, pleraque dubia et incerta sunt. Accedit, quod tanta saepe sit actuum civilium obscuritas (1), ut populus eorum aequitatem aut necessitatem agnoscere nequeat, aut aliquando nolit. Plerique enim cives facillime se laesos ab imperante putant: pessimi in propria causa judices, ac tumido praecipiteque furore abrepti, quoties non omnia suo ex voto succedunt, et semper ad tyrannidis hostilisque propositi suspicionem propensi.

Nihilominus tamen concedam, Imperanti officii metam transilienti preces et rationes jure opponi posse: quin imo deberent saepe reipublicae proceres officii sui, in ejusmodi rerum casu, esse observantiores, quam quidem fieri solet; nec dubitandum, quin his remediis sincere et unanimiter adhibitis, ad saniora consilia Imperans revocari possit, praesertim cum saepius non propria, sed aliena libidine in reipublicae perniciem animetur. Verum, etiamsi hoc licere concedam, nullo tamen casu fas est populo adversus principem rebellare, eumve in judicium adducere et ejerare. Et cum Marcello apud TACITUM (2) dicam, *bonos imperatores voto expetendos, qualescunque tolerandos esse.*

Caeterum, ut de divina origine, quam supra probavi, sileam, nonne permultae aliae rationes, imo ipsa civium utilitas evincunt, Imperium sanctum atque inviolabile esse? Praeclare ait SENECA: « Non hic est sine ratione populis urbibusque consensus » protegendi amandique reges, et se suaque jactandi, quocumque » desideraverit Imperantis salus. Nec haec vilitas sui aut demen» tia, pro uno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mor-

(1) Il est des actions des Princes comme des grandes rivières dont tout le monde voit le cours, mais dont peu d'hommes, savent l'origine, caet. — DE RÉAL, *Science du Gouv.* T. IV, ch. 2. sect. 12. § 89.

(2) *Hist.* IV. 8.

»tibus unam animam redimere, nonnunquam senis et invalidi. »Quemadmodum totum corpus animo deservit,........ sic haec »immensa multitudo unius animae circumdata, illius spiritu re- »gitur, illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus »suis, nisi consilio sustineretur» (1). Suam itaque incolumitatem amant, qui sibi persuasum habent, tantam ab omnibus, qui se bonos cives profitentur, reverentiam deberi Majestati, quanta in homines cadere potest, et potius semper esse, malum principem ferre, quam ferrum in durum quidem, sed tamen parentem patriae stringere. Non enim ostendi potest, quantum ad pacem et tranquillitatem ejusmodi in Imperante potestas, in civibus obligatio faciat. At si a vulgi levitate pendebit Imperii sanctitas, nil principatu calamitosius, nil magis incertum excogitari potest; neque in civitate quid perniciosius, quam ut Summus Imperans populo temere subjiciatur: id agas, et pro obsequio turbas, pro pace bella habebis. Nonne enim, ubi Imperium nullum, plurimum confusio?

3. — Quamvis autem haec omnia omnino vera sint, sunt tamen qui docere non dubitent, *summam potestatem esse penes universum populum*, eoque Imperium principis nec posse nec debere esse superius. Quae sententia quot malis causam dederit, et dare etiamnum possit, penitus animis recepta, nemo sapiens non videt (2). Quare, eo re ducente, non inconveniens videtur, hoc loco doctrinam istam paucis oppugnare (3).

Nimirum jactant omnes Imperantes a populo constitutos, atqui naturale esse, ut constituens sit constituto superior. Verum, licet ad eorum constitutionem populi consensus quodammodo interveniat, tamen, uti supra vidimus, quia invicta necessitate et cogente natura homines in societate vivunt ac Imperio reguntur,

(1) *De Clementia* I. 3.

(2) Ut recte observat GROT. *op. l.* I. 3. 8. 1.

(3) Estque haec thesis nihil aliud nisi quam ipse GROT. in immortali suo opere *de Jure B. et P.* refutavit, semperque in hac alma Academia D. D. communi voto redarguere non destiterunt.

ab eorum voluntate minime pendet, quominus adsit Imperium. Et cum Imperium ex ipsa natura proveniat, non magis illud, quam ipsa-societas, eorum voluntatis effectus, nec adeo ab iis dependens esse potest.

Nec porro dicendum, Imperium omne eorum, qui reguntur, non qui regunt, causa esse comparatum, seu regem esse propter populum, non populum propter regem; indeque sequi ex finis nobilitate eos, qui reguntur, superiores esse eo qui regit (1). Nam si distincte sumamus duas hasce propositiones, utraque falsa, si conjunctim utraque vera: populus quippe est propter Imperantem et Imperans propter populum (2), et ambo sunt, ut adsit Imperium, et non cogitari potest Imperium sine populo, nec populus sine Imperio (3).

Verum enim vero cum nostra sententia de Imperii origine non omnibus auribus aeque grata accidat, ulterius quoque lubet exponere, etiamsi admittamus illud hominum conventionibus tacitis vel expressis conferri, haud minus tamen absurdum esse asserere, subditis in Imperantem competere eminentius quoddam jus (4).

Scilicet, ut jam monuimus, summam potestatem penes populum esse contendunt, bella ratione, quoniam Imperantes a populo constituantur, et naturale sit, constituentem constituto superiorem esse. At primo quidem observandum inter modos, quibus illi constituuntur, magnam esse differentiam. Alii enim

(1) Caeterum ut probet quam falsa sit in se spectata consequentia, Grot. *op. l.* I. 3. 8. 14. recte argumento a tutela petito utitur. Quem vide.

(2) Unus tu in quo et Respublica et nos sumus: nec magis sine te nos esse felices, quam tu sine nobis potes. — Plin. *Panegyr. Traj.* c. 72.

(3) Quae enim auctores quidam de nonnullis populis narrant apud quos ne simulacrum quidem civitatis aut Imperii reperire liceat, ea ita sunt comparata, ut parum explorata retulisse videantur, nulla ibi Imperia esse suspicati, ubi non viderent palatia, satellitia aulaeque splendorem.

(4) J'ai eu la satisfaction de me convaincre de plus en plus, que ce fait *incontestable* (?) (le pacte social) renverse la doctrine aussi dangereuse qu'insensée de la souveraineté du peuple, à laquelle on a voulu le donner pour appui. — Locré, *Legisl.* proleg. pr.

populi ultro sibi regem sumunt; alii bello subacti regem accipiunt, quem extra istiusmodi casum haudquaquam optabant. Atqui communis loquendi usus fert, ut illi demum reges a populo dicantur constituti, quos hic volens sibi sumsit; qui per vim bellicam consensum extorquent, non a populo constituti, sed populum sibi subjecisse dicantur.

Deinde vero, si vel maxime verum esset, eum a quo aliquis constituitur, esse superiorem constituto, illud duntaxat valeret in constitutione cujus effectus perpetuo penderet a voluntate constituentis, non etiam in ea quae ab initio est voluntatis, postea necessitatis. Hinc Valentianus Imperator, referente THEODORETO IV. 5, militibus, qui ipsum Imperatorem fecerant, postulantibus, ut collegam Imperii sumeret, summo jure respondit: «ut me ad »imperandum vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate, »o milites; at postquam me elegistis, quod petitis in meo est »arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, »mihi quae facienda sunt cogitare» (1).

Porro, qui aliquem constituit, in se ipsum, seu qui Imperium alteri in se confert, non magis eo superior manere potest, quam idem eodem tempore imperare et parere. Sic postquam Romani principes Imperium vere regium usurpare coeperant, dicitur populus in eos omne suum Imperium et potestatem contulisse, etiam *in se*, ut interpretatur THEOPHILUS.

Plura non addo, nec enim opus: jam ex ipsa origine Imperii, aut, si urges, ex pacti civici natura, judicare optimo jure licet, illud revera esse *summum*, i. e. quod a nemine pendeat, nec habeat superiorem quenquam aut rationibus reddendis obnoxium sit.

Etenim si gubernandi potestas non latius pateret, nisi quatenus subditi ea comprobassent, quae ad assequendum civitatis finem adscivisset Imperans, partim quidem summum Imperium

(1) Cf. quoque elegans SENECAE locus: *quaedam initium ab aliis trahunt, et tamen initiis suis majora sunt*, caet. — *De Benef.* III: 29.

revera non haberet, qui nomine talis diceretur (*summum enim esse, et aliis subjici, contradictoria sunt, ait* HOBBESIUS); partim civitas consilium suum assequi non valeret, cum id deesset quod consilii assecutio requirit, sc. Imperium, quo generalis continetur voluntas civitatis. Nec dicas tantam auctoritatem rem esse lubricam plenamque periculi, cum unius vel certe paucorum judicio quam plurima permittat: simul enim fatendum est, non magis tutam fore viam, qua multitudinis levitati et inconstantiae civitas committeretur. Quodnam enim est in multitudine certae prudentiae praesidium, quodnam adversus factiosorum hominum conatus momentum continetur?

4. — Sufficiant varia haec ad probandum opinationem eorum, qui Summum Imperium penes populum esse sentiunt, rationi rerumque naturae quam maxime adversari. Quae vero sana hucusque ratio invictis argumentis suasit, eadem et historia, temporum testis optima, documentis suis firmabit: quam quidem eo luculentius suffragari nobis perspiciemus, quo animo praejudicatis opinionibus magis vacuo, annales ejus diligenter et sincere volutabimus. Cujus rei licet in omnibus fere regnis, quibus magna Europae societas coalescit, testimonium a nobis exquiri posset, parcius tamen in eo agendum esse ducimus, et argumenta repetemus ex iis locis potissimum, quae veluti sedes praecipua nefandarum doctrinarum fuerunt, quas hic oppugnare nobis proposuimus; atque eos in primis populos in defensionem veritatis evocabimus, quos adversarii nostri causae suae vel impensius favere comminiscuntur. Eoque probationis genere ideo vel maxime utemur, quod propriis ita armis opinionis contrariae patronos invicte reprimemus. Ubinam autem et societatis ordo magis pessumdatus et sacra Imperii vincula audacius divulsa, quam iis in regionibus, quae, licet oceano ab invicem et morum et vitae ratione disjunctae, in unam tamen eandemque impietatis φρένεσιν conspirasse videntur? Franciam, inquam, Angliamque, florentissima ambo et cultissima regna, quorum cives, libera nimis opinandi prurigine adductos, coronam regum

suorum et principum inviolabile caput sanguine et caedibus foedasse, omnibus notissimum est. A Francia itaque, quam primo loco nominavi, initium sumam.

Saeculo nempe octavo decimo seditiosi quidam homines palam proclamare ausi fuere, Franciam post quatuordecim saecula felicitatis et gloriae, per omne illud temporis spatium continua velut oppressam servitute sine viribus jacuisse; monarchiam, longo usu firmatam, nihil aliud esse quam fucatum despotismum, sed eundem intolerabilem; et tandem diem eluxisse, qua populum ex somno isto politico suscitari oportebat, ut sc. libertate juribusque suis *inalienabilibus impraescriptibilibusque* frui posset. Et simul per totam plane Europam populos mancipia, reges tyrannos esse, in suis scriptis decreverunt!

Quorum vanis declamationibus primum verba MACHIAVELLI, auctoris iis certe non suspecti, opponere juvat. «Sunt quidem, »ait, multi reges, pauci vero boni, saltem inter absolutos, »quorum tamen numero accenseri non debent reges Aegypti, »quae jam antiquissimis temporibus per leges regebatur, neque »reges Spartae, neque etiam *Franciae* nostra aetate, cum hujus »regni Imperium, quantum nobis notum est, *omnium maxime »legibus temperatum sit*» (1). — Atque alio loco iterum dicit: «regnum Francicum beatissima tranquillitate utitur, propterea »quod ibi Rex *multis legibus subjectus est*, quibus populorum »securitas continetur» (2). His sane laudibus MACHIAVELLUS suo aevo leges fundamentales monarchiae Francicae merito efferebat. Quid vero novarum rerum molitores hisce legibus substituerunt?

Ex sua nimirum doctrina, qua summam omnium rerum potestatem penes populum esse nec inde posse avelli profitebantur, sponte deduxerunt, regiam dignitatem in Francia supervacaneam esse, nec eam amplius cum libertate consistere posse.

(1) *Disc. sop. Tit. Liv.* I. 58.

(2) *Ibid.* I. 16.

Quare miranda audacia; *nomine istius populi Imperantis* (1), principi justo et lenissimo vim intulerunt, eumque regno spoliatum nefande necarunt.

Ast vero tunc subito monarchiam, uno verbo abrogatam (2), horrenda omnium malorum excepit abyssus, quam legum et constitutionum infinito pene numero et optimorum civium cadaveribus complere frustra conati sunt. Ingentem enim legum molem fabricati sunt populares legislatores (3), quibus (horresco referens) civium sanguis velut unica sanctio fuit. Publica fides, cum sine fide erat, languebat: cui laboranti pollicitationes in speciem magnificae et chartaceae schedulae (*assignats*) medicina fuerunt. Verum hac ipsa medicina morbus, quin remitteret, acrius invaluit, corpusque Reipublicae, mellitis potionibus ad tempus demulctum, tandem, quum viscera prae inedia exsiccarentur, miserrime defecit.

An vero inter tantam temporum tristitiam tamque feroces miserias libertas, quam sub regibus neque umquam exstitisse neque amplius exstare posse jactabant demagogi, populo *restituta* est? Libertas scilicet, ubi in populo aliquo renascitur,

(1) Etsi tamen populus eorum regicidio assensum minime dederit: quod nec ipsi ignorabant. Si enim interficiendo Rege populi desiderium sequi judicabant, cur igitur Regem ad populum provocare prohibuerunt? cur etiam in ipsa *Conventione* suffragia tam incerta et disjuncta tulerunt?

(2) Lex tota haec est: *La convention decrète que la royauté est abolie en France.* — Vid. *Lois civiles ou code civil intermédiaire*, Paris 1810. T. I. p. 334.

(3) En legum illarum prodigiosum numerum:

Coetus nationalis (*assemblée nationale*) a primo Jul. 1780 usque ad mensem Octobr. 1791 leges fecit	2,557
Coetus legislativus (*assemblée legislative*) intra annum nondum completum	1,712
Conventio denique nationalis (*convention nationale*) a prima die Reip. usque ad 4 Brum. an IV. (26 Oct. 1795)	11,210
Summatim	15,479

Corruptissima republica plurimae leges.

Tacit. Ann. III. 27.

certissimas prae se fert notas, quibus agnosci facile potest. Tunc enim amor patriae est quasi religio quaedam, legumque reverentia quasi superstitio; cives recurrunt ad mores rectos rigidosque; virtus et pietas dignis honoribus fulgent; imo factiones, si quae dantur, patriae prosunt, siquidem de sola huic serviendi gloria pugna est. Jam vero an isthaec indicia etiam in Francia observare licet, postquam rerum omnium conversio omnia perturbasset? Sane qui illud affirmaverit, eum aut mendacem aut caecum esse dicam. Scio equidem multos, quibus velut desperatio animum addebat, et qui vitam, cui domi minabatur, foris pro iniqua patria reddiderunt, nomen suum immortalitati commendasse; verum si ab isto solamine aberremus, quid laudabile superest? omnium flagitiorum audacissima et vere delira coacervatio; rationis et orationis abusus petulans; vilissimum servitutis jugum bonos et innocuos, si qui indefessum carnificis gladium aufugissent, durissime premens; scelerum licentia, ut ita loquar, methodica et quasi commentata multo consilio, quae sensum omnem honestatis, omnem religionis, pudoris omnem suffocabat; nova denique aetas, cujus in fastis criminum impietate horrendorum atque injustissimorum sempiterna memoria nota manet.

Numquid tandem populo tot tantaque mala Summi Imperii exercitium compensavit? Et ita minime. *Respublica* quippe, a paucis gubernata, intra metropolin circumscripta fuit, cui reliquae Franciae partes subditae fuerunt. Deinde numerus incolarum a collegio, cui mandata erat nova recensio plebis (*tiers*), ad tricies millena millia (30,000,000) descriptus fuit, cum simul in ipsa constitutione cautum esset, ut in corpore legislativo (*corps législatif*) unoquoque anno ducenti et quinquaginta (250) vicissim sibi succederent. Hinc, si supra memoratam recensionem ad dimidiatum numerum (15,000,000) marium reducamus, sique hi immortales fuissent, habiles omnes ad repraesentationem ordineque vocati, singuli Franciae cives sexagies millesimo (60,000) quoque anno Imperium exercere potuissent. Verum

cum per tantum temporis spatium mors multos ad se trahere nusquam cesset, cumque etiam praeterea semel jam electi iterum eligi possent, et quoque inter tot homines multi semper ad repraesentationem sint inhabiles, revera plurimi *Imperantes* mortem obiissent, Imperio nondum potiti.

Roussavius quoque aliique docuerunt *voluntatem populi sive nationis delegari non posse:* quamvis autem de ea sententia in utramque partem disputare in immensum liceat, certissimum utique est, systema repraesentationis, quale tunc erat receptum, ab omni Summi Imperii exercitio populum prohibuisse, quippe quo solum jus ei esset relictum, ut eligeret eos, qui eligerent, sublata simul omni relatione inter delegatos et mandantes, illos admonendo se non provinciae, a qua mittebantur, sed *nationis* vices sustinere.

Atque ita iste populus, dum Summun Imperium tenere somniabat, id obtinuit, ut loco pristini regis *directorio executivo*, uti dicebatur, et *duobus conciliis* secundum constitutionem anni 1795 creatis, subjiceretur (1).

Nec adeo in Francia populum, sive per se, sive per mandatarios, Summum Imperium exercuisse constat; id quod et argumentis a ratione petitis et arithmetico etiam modo probavimus.

Sed urgent hic iterum, qui Summum Imperium populi patrocinantur, doctrinam suam, licet in Francia in pessimos abusus a furibundis demagogis conversa fuerit, nihilominus in se veram ac utilem esse: humanam vero malitiam rebus optimis saepe abuti. Atque insuper addunt, illam certe apud *Anglos* ad summum vigorem pervenisse, quum forma regiminis repraesentativa

(1) Unde merito anno 1796 populi istius *Imperantis* miserrimam conditionem his verbis deplorat Babeuf, conspiratorum tunc tempore vilissimus: «Je crois »le gouvernement actuel usurpateur de l'autorité, violateur de tous les droits »du peuple, qu'il a reduit au plus déporable esclavage. C'est l'affreux système »du bonheur d'un petit nombre fondé sur l'oppression de la masse. Le peuple »est tellement emmuselé, tellement environné de chaînes par ce gouvernement »aristocratique, qu'il lui devient plus difficile que jamais de les briser».

Vid. *interrogatoire de Babeuf*, Juin 1796.

recepta fuit. Hoc autem rursus argumentum speciosum potius, quam verum videtur, et constitutionis Anglicae naturam se parum explorasse denunciant, qui eam ex deliberatione aut facto populi natam esse credunt. Ortum enim est systema repraesentativum e jure feudali, postquam illud et rerum eventa et temporum cultus ad maturitatem perduxissent; totaque constitutio Anglica antiquis consuetudinibus nititur, ac si, quae in jure feudali fundamentum habent, ex ea tollere velis, necesse est, ut totum statum publicum evertas (1).

Caeterum ante medium saeculum decimum tertium nullum in Anglia repraesentationis vestigium reperire licet. Diligentissimus auctor HALLAM (2) probavit, urbes vel potius oppida (*boroughs*) primum convocari coepisse anno 1264, regni HENRICI III quadragesimo nono, nec posse inveniri certa documenta eas ante hoc tempus Parlamento adfuisse. Nunquam enim antea urbium fit mentio, et revera mirandum ipsa Magnorum Baronum consilia, quorum dux erat comes LEICESTRIAE, immoderatae ambitionis vir, primum ansam dedisse, ut illae in magnam gentis concionem vocarentur. Haec vero ipsa urbium convocatio non nisi per concessionem Regis introducta fuit, quippe qui earum mandatarios sive repraesentantes, initio saltem, ipse quoque nominabat.

Non etiam omnes urbes initio convocatas fuisse, notum est. Quae quidem juris diversitas causam habuisse videtur, quod aliae in domanio Regis erant sitae, aliae vero in agris nobilis cujusdam (3). Priores, quae feuda directe ab ipso Rege tenebant,

(1) DE LOLME, *on the constitution of England* b. II. ch. 17 exhortationem praebet minime spernendam hac de re: »*There are many circumstances in the English government,*..... caet».

(2) *State of Europe during the middle ages*, vol. III. ch. VIII. part. 3.

(3) Multa invenimus exempla, etiam in historia patriae nostrae, urbes aliquas sub patronatu nobilis cujusdam fuisse. Ita *Amstelodamum*, *Gorinchemum*, caet. initio peculiaribus dominis obediebant. Aliae vero vasalli erant ipsius regis vel principis, et simul cum magnis vasallis convocabantur, ut *Delphium*, *Dordracum*, aliaeque. — Cf. BILDERDIJK, *gesch. des Vaderl.* D. I. pag. 318.

concilio omnium vasallorum commode admitti poterant; nihil enim in hac admissione naturae juris feudalis repugnabat, cum eodem loco ac magni vasalli haberentur illae et eodem jure fruerentur. Posteriores vero, quae inter vasallos directos non numerabantur, domini sui peculiaris placita sequi debebant, atque hoc ipso Parlamento arcebantur, donec, vel dominis pulsis, vel emta libertate, locum in concionibus usurpassent.

Deinde multae urbes ex illis etiam, quae sive in domanio Regis sitae essent, sive libertatem sibi comparassent, jus repraesentantes mittendi, quod primum habuerant, postea propria incuria et nimio parcimoniae studio amiserunt. Scilicet non magni haec aestimabatur facultas, quum adhuc tributa, quae imponi solebant, non valde onerosa essent. Hinc plurimae urbes emolumentum, quod ex repraesentatione potuissent acquirere, parvi ducentes, sumtus vero metuentes, quibus opus erat, ut delegatos pecunia ad iter faciendum necessaria munirent, molestiam insuper electionis pertaesae, paullatim omiserunt repraesentantes ad Parlamentum mittere. (1).

Porro verisimillimum quoque est, urbes nunquam conjunctim cum ordinibus superioribus consedisse. Neque mirum: delegati quippe urbium una cum *Baronibus Minoribus* sive delegatis comitatuum (*knights of the shires*) numerum duplo majorem efficiebant, quam Clerici et Nobiles potentiores (*nobility*) sive proprio nomine *Magni Barones:* si illos itaque eodem loco haberi et in eodem concilio apparere sivissent, facile admodum nobiles isti majores antiquis suis privilegiis privari potuissent.

Quinimo urbium delegati, cum jam iis Rex EDUARDUS I constanter Parlamento adesse jus dederat, suffragium *deliberativum* non habuerunt, sed tantum querimonias et libellos supplices offerre poterant, quibus Rex per modum concessionis respondebat (2). Sic postquam EDUARDUS II, vir inconstans et imbellis,

(1) Cf. MILLIAR, *an historical view of the English government*, vol. II. ch. 6. sect. 3.

(2) Quod probatur ex convocationibus (*summons*), quibus Rex Parlamentum

Parlamento omnia quae vellet, concesserat, mox tamen sub EDUARDO III, ejus successore, urbes bonorum vigesimam quintam partem contulerunt, ea conditione, *ut Rex consilium caperet iisque de nonnullis jus diceret*. Quibus Rex in sequenti Parlamento respondit. Ipsas vero querimonias suas sequenti modo incipiebant: «Boni homines hujus regni, qui huc ad Parlamentum venerunt, *dominum suum Regem* deprecantur, ut dignetur respicere miseros *suos subditos*, qui vehementer dolent sibi non regnari, uti decet, in primis quod attinet Magnae Chartae articulos: cui malo remedium exposcunt. — *Dominum suum et Regem* etiam precantur, ut dignetur audire ad vexationes, quibus populus ipsius jam diu et quotidie adhuc exagitatur ab iis, qui sese officiales ejus dicunt; illisque finem imponere, *si hoc ipsi placebit.*» — (Sequebantur infra querimoniarum articuli duodecim).

Tandem non possum quin describam supra jam laudati auctoris HALLAM locum egregium quendam de constitutionis Anglicae natura, quam ipse ex documentis monumentisque multis indagavit. «Uti hactenus, inquit, constitutionem nostram sincero animo definivi, essentiam in ea monarchiae, licet multum legibus temperatae, magna tamen potestate praeditae, facile quisque agnoscet..... Inter varias autem, quae de ea constitutione prolatae sunt, sententias haec certe legibus et historiae maxime est opposita, quae Regem exhibet tanquam magistratum quendam hereditarium, cui mandata est potestas executiva, vel, si mavis, tanquam summum civitatis ministrum. Non nostrum hic est inquirere, quaenam commoda comitari possent ejusmodi regiminis modum: observare sufficiat citra omne dubium constare, antiquam Angliae constitutionem minime talem fuisse, nec eam cum regiminis formis popularibus similitudinem aut cognationem ullam prorsus habuisse. Omnia enim ex

indicebat. Convocabantur enim Nobiles *ad tractandum et consilium impendendum de arduis regni negotiis*, urbes vero *ad audiendum et consentiendum*. Non nisi saeculo demum sexto decimo urbes ad leges condendas suffragia ferre coeperunt. Cf. DELOLME *op. l.* b. I. ch. 2. in not.

» *monarchia* veluti ex fonte aliquo derivari videbantur, omnia» que ad hujus commoda et decus referebantur. Urbes quoque, » quoties *supplicarent*, oratione utebantur semper humili et sub» missa, etiam cum essent incitatissimae, nec unquam de prae» rogativa Regis sermo habebatur nisi verbis gravibus splendi» disque,..... caet » (1).

6. — Ex hisce omnibus itaque apparet, libertatem illam politicam et civilem, qua usa est Anglia, a potestate manavisse, quae jam ante secundum certas leges constituta erat, nec a voluntatibus privatis aut collectivis populi cujusdam Imperantis profectam fuisse. Absurda ideo non minus quam invalida sunt eorum argumenta, qui Summum Imperium populi in Anglia ex origine et natura systematis repraesentativi probari conantur. Jam vero, ut causam nostram gloriosius adhuc obtineamus, argumenta repetemus ex ipsa historia Angliae, ex famosissima scilicet illa rerum conversione, qua constitutio ejus popularis regiminis speciem ad tempus accipere visa est, et quam Summo Imperio populi optimam fidem facere adversarii nostri perhibent.

Scilicet anno 1647 ad finem vergente duces praecipui Regem CAROLUM I publice in judicium vocare decreverunt. Cui consilio paulatim assuevit populus, hominesque democratici mortem Regis clamose optarunt.

Verum primo quidem non omnes, qui contra Regem sentiebant, ideo monarchiam aversabantur: multae enim conciones habitae sunt, in quibus serio deliberatum est, ut unus ex CAROLI liberis regno praeficeretur. Ac deinde, licet CAROLI sectatores majorem populi partem non efficerent, tamen multo plures erant, quam qui mortem ejus requirebant aut etiam comprobabant. Tantae vero multitudinis firma in qualicunque causa permansio, victoribus puniendi jus semper adimit, nisi quatenus ipsorum securitas aut justa reparatio exigat. Atque hoc argumentum valeret etiam, si CAROLI judicium populus per legitimos suos repraesentantes ratum habuisset. Sed caedes ejus perpetrata est a

(1) *Op. l.* vol. III, ch. 8 part. 3 in fin.

populi parte longe minore (1), quae audacia et vi, potestatem, quae ab omnibus illegitima habebatur, sibi arrogaverat; adeo ut *populus* huic rerum conversioni, quam mere *aristocraticam* merito dixeris, revera non interfuerit.

Deinceps vero, post necem CAROLI, Anglos inani conatu laborare videmus, ut monarchiae, quam diruerant, populare regimen substituerent. Primum enim diversorum *longi Parlamenti* concitorum dominationem passi, mox, horum auctoritate fracta, sub illimitatam *protectoris* potestatem transierunt; deinde rursus Imperium divisum fuit inter varios militum duces. Atque hoc modo in novam continuo servitutem delapsi, tandem intellexerunt, libertatem apud magnam gentem ita constitui nunquam posse, ut in singulis gubernationis negotiis interveniat. Quamobrem ultimo redierunt ad constitutionem eam, quae sola magnae civitati populoque libero convenit, scilicet in qua pauci deliberant, et unus exsequitur, sed in qua simul, per ipsam rerum dispositionem, omnium desiderium in rebus gerendis conditio est necessaria.

Porro si ab hoc tempore transeamus ad annum 1688, multis iterum et solidis argumentis probare possumus, Summum Imperium populi in Anglia nunquam obtinuisse. Non autem novae hujusce rebellionis causas indagabimus, nec JACOBUM defendemus (licet defendi forsan posset, et multi quoque ante nos illum defenderint), sed statim ad rem ipsam dicemus.

GUILIELMUS nempe, Princeps ARAUSIACUS, postquam in Angliam venisset, concionem indixit. In ea vero, licet animis calescentibus convocata, nulli tamen jus Regem solio dejiciendi sibi competere existimarunt. Quare, cum in constitutione cautum esset, ne solium unquam vacaret, propositio facta est, ut fuga Regis pro abdicatione haberetur. Ea propositio a domo Communium probata, deinde oblata est domui Parium, ut con-

(1) Quae vulgo dicitur *rump parlement*, quasi pars ultima sive reliquiae: non enim nisi 50 aut 60 aderant, caeteris absentibus. — Cf. HUME, *history of England to the revolution* 1688, vol. VII. p. 132. ed. 1818.

firmaretur. Inter hos vero permulti procuratorem sive vicarium (*regent*) constitui voluerunt; nec non alii pro uxore Principis ARAUSIACI, JACOBI filia, regno praeficienda sententiam renunciarunt. Tandem in celeberrimo illo consessu, in quo deliberationes ad mediam noctem productae fuerunt, bina tantum suffragia effecerunt, ut statueretur regnum a rege non a vicario gubernandum esse (1); et, quod notandum, suffragia eorum, qui a causa JACOBI stabant, procul dubio vicissent, modo nonnulli (sc. quatuor), qui non venerant propterea quod concionem illegitimam arbitrabantur, utpote a JACOBO non convocatam, deliberationibus interfuissent. Ad quaestionem vero, *num* JACOBUS *se regno abdicasset*, voci « abdicare (*abdicate*) » substituta est vox « deserere sive relinquere (*abandon*) ». Ad quaestionem denique aliam, *num regnum vacaret*, suffragiis 55 contra 41 negative responsum fuit; adeo ut Parium revera major numerus pro JACOBO sententiam tulerit. In domo vero Communium pars major, quae regnum vacare decrevit, non nisi paucis suffragiis praevaluit (2).

Ubi itaque omnia, quae facta sunt, diligenter respiciamus, patet omnes, qui ad rerum conversionem plurimum contulerunt, minime provocasse ad Summum Imperium populi, nec, ut contendunt nonnulli, *jus regem Imperio exuendi*, *aliumve sibi eligendi*, *aut novam constitutionem creandi*, unquam agnovisse. Quod etiam luculentissime probatur ex declaratione jurium (*bill of rights*) anni 1688. In ea nempe lege, quae lata est in principio statim regni GUILIELMI et MARIAE, quaeque a viris juris et rerum politicarum peritissimis conscripta fuit, de simulatis ejusmodi juribus ne verbum quidem invenire licet, nam:

(1) Nempe 51 suffragium tulerunt pro rege, 49 pro vicario.

(2) De quibus omnibus cf. in primis opus, cui titulus: *The history of the British Revolution of* 1688—9, by GEORGE MOORE, London 1807; quod eo magis legendum commendo, utpote quod GUILIELMO perquam favet, atque adeo in iis, quae pro JACOBO faciunt non nisi extremam veritatem retulisse praesumi potest.

1°. Ipse declarationis titulus aperte dicit, illam factam esse «ad declaranda jura et libertates (*liberties*) subditorum, et ad »definiendum (*to fix*) ordinem successionis ad regnum.» Ergo quae ad libertatem populi, quaeque ad ordinem successionis in regnum spectabant, eadem lege continebantur, quasi una eademque res esset, totum quoddam inseparabile et correlativum. Intelligebant enim omnino, violato jure successionis, civitatem in *rempublicam* degenerare, aut quod pejus etiam foret, in turbulentam ac perniciosam monarchiam.

Nec deinde alibi declaratio ista jus quoddam inducit eos, qui regunt, eligendi, verum expresse ait, «ad pacem, tranquilli»tatem securitatemque regni omnino necessarium esse, nec »minus expediens nationi, *ut ordo successionis certus ac defi»nitus in posterum servetur, ad quem subditi tanquam ad prae»sidium semper confugere possint.*»

Vidimus quoque supra adeo ab isto jure regem eligendi abhorruisse primarios in civitate viros, ut primo quidem ad regnum, quod *vacare* dicebatur, non GUILIELMUM, sed uxorem ejus MARIAM, filiam JACOBI, liberorum ejus natu maximam, vocare voluerint, et accessionem deinde GUILIELMI non nisi *cogente necessitate*, uti ajebant, permiserint. Utque melius adhuc significarent, sese jus regem eligendi sibi arrogare non velle, summa arte et diligentia brevem illam interruptionem ordinis successionis omnium oculos celare studuerunt. Respicientes enim ad acta agnitionis reginae ELISABETHAE et JACOBI I, in quibus natura monarchiae hereditaria tam expresse memoratur, haec verbotenus fere secuti declarant: «se persuasum sibi habere in»signe esse munus Providentiae ac propitiae bonitatis Dei erga »hanc nationem, personas regias Majestatum Suarum incolumes »esse, easque feliciter in solio *avorum suorum* insidere: seque »pro hoc beneficio, ex intimo animo preces et gratias ad coelum »dimittere.» Ac paulo inferius sese agnoscere profitentur, «Re»gem et Reginam, omnibus coronae praerogativis legitimis »fungi, hasque in illis *plene*, *bonoque jure*, *atque integerrime*

»esse investitas, incorporatas, unitas et annexas.» Deinde in clausula sequenti, quo omnis quaestio arceatur, quae ex veteribus ad regnum titulis oriri possit, iterum dicunt iisdem verbis ac in agnitione ELISABETHAE et JACOBI, »a *stabilitate* (*stabi-*»*lity*) *ordinis successionis*, favente Deo, pendere unitatem, »pacem et tranquillitatem totius nationis.»

Sic igitur per rerum conversionem anni 1688 populus in Anglia jus regem sibi eligendi non solum non adeptus est, verum potius huic juri solemni modo renunciavit. Caeterum quidquid de actu isto Parlamenti deque *necessitate*, in qua sese versari dixerunt, sentiendum sit, ex hoc ipso tamen, quod *necessitate se cogi* pronunciarent, manifeste apparet, eos nulla ratione credidisse, sibi jus competere quocumque modo pro lubitu regem eligendi, non magis quam ipsam potestatem monarchicam caeterasque constitutionis partes delendi. Parlamentum enim se legibus fundamentalibus constitutionis obligari merito existimavit, cujus quidem partem se ipsum efficere sciebat, sed ita, ut hanc partem neque mutari neque abrogari posse, et monarchiam hereditariam ejusdem constitutionis partem esse haud minus inviolabilem judicaret. Et ob hanc quoque rationem, cum postea GUILIELMUS et ANNA, secunda JACOBI filia, nullos habuissent liberos, Parlamentum Principem SOPHIAM tanquam stipitem declaravit ex quo ordo successionis derivaret, idque solum ideo, «quia excellentissima Princeps SOPHIA, electrix et dux vidua »Hanoverae, *filia* est excellentissimae Principis ELISABETHAE, »reginae quondam Boemiae, ac filiae defuncti *regis et domini* »*nostri* JACOBI I felicis memoriae, atque ob eam rationem proxi»ma est *in ordine successionis*, caet..... et regnum ad heredes »ejus transibit.» Ubinam autem hic reperire licet jus reges eligendi?

2°. Non magis etiam jus eos, qui regunt, Imperio exuendi, tanquam principium aliquod adoptarunt. Quod quidem ad evidentiam usque probatur ex infinitis communitionibus, quibus prudentissime usi sunt in decreto conscribendo, quo de abdica-

tione JACOBI regis statutum est. Quamvis enim, jure aut injuria, *necessitatem jubere* censerent, ut principio derogaretur, non tamen voluerunt, ut haec derogatio tanquam regula et novarum rebellionum causa admitteretur, sed eam multa prudentia dissimularunt, ut sic principium generale etiam confirmarent magis. Imo, jus regem coercendi sibi nulla ratione competere judicantes, maluerunt, quo tutior postea esset libertas civium, nova limitatione restringi potestatem regiam, cavendo scilicet, « ne » ulla remissio (*pardon*), magno Angliae sigillo signata, per » modum exceptionis opponi possit adversus accusationem a Com» munibus in Parlamentum congregatis institutam. »

3°. Tandem jus novam constitutionem creandi omnino quoque abnegarunt. Non enim operam dedit Parlamentum, ut hanc jurium declarationem tanquam novam legem constitueret, sed agnovit omnia illa jura, quae tam expresse memorabantur, in antiqua Imperii forma fundamentum habuisse. Legitur enim in ea, « se diligentissime inquisivisse modum, quo optime *consti-* » *tutio aliqua efficeretur*, quae religionem suam et leges et li- » bertatem ab omni aggressione tueretur; » — deinde ad hoc assequendum optimum esse dicunt, « facere, quemadmodum *in* » *casibus similibus* facere solebant *majores nostri* ad vindicanda » antiqua sua jura et libertates, scilicet *declarare.....*; » — ac tandem Regem et Reginam deprecantur, « ut declaretur et ju- » beatur, *omnia et singula* jura et libertates, in hac lege me- » morata et declarata, vera, *antiqua* et indubitata esse jura et » libertates populi regnique (*the true, ancient and indubitable* » *rights and liberties of the people and the kingdom*). »

Sed finio; longius enim progressa est oratio quam prius cogitavi, et satis demonstrasse confido, doctrinam de Summo Imperio penes populum inter seditiosas opiniones, quae ad internam civitatis compagem solvendam faciunt, referendam esse; qua scilicet hoc tantum efficitur, ut cristas erigere incipiat vulgus, et resistere discat Imperio, etiam non iniquo. Quod quo reipublicae bono fiat, tot omnium saeculorum docent exempla. Quin

imo crebrae rebelliones sive rerum conversiones, quarum historia memoriam tradit, optimum exhibent argumentum, Summum Imperium penes populum esse revera non posse: nam si populus unquam recte novisset, quid ipse ageret, aut quid vellet, aut quid justum esset, ubique una tantum, aut potius nulla rerum conversio obtinere debuisset.

7. — Profligatis vero opinionibus falsis, pergamus in explicanda Imperii natura. Inter affectiones enim Imperii, haec quoque ad essentiam ejus pertinet, quod sit *unum ac indivisum.*

Et revera inter homines solum ideo tam frequens divisionis sive dissidii causa est, quia dividi et dispertiri nequit. Quin imo Imperium unum est, licet contrarium in speciem quandoque videatur. Functiones quidem Imperii multifariae esse possunt, verum ad civitatis notionem semper requiritur, ut in ea sit una tantum potestas, per quam omnia, quae ad illam regendam faciunt, velut ab una anima proficiscantur; ac plures potestates plures efficerent societates, nam ubi Imperium divisum foret, factiones compararentur, quae diversas in eadem civitate inducerent societates.

Sed revera duo Summa Imperia in eadem civitate ne fingi quidem possunt. Etenim si duo Imperantes simul existerent, qui seorsim potestatem haberent, unus necessario idem velle deberet, quod alter; atqui eo casu alteruter eorum, cujus voluntas ad alterius voluntatem componeretur, ex se ipso non ageret, adeoque Summus Imperans non esset. Quod si ambobus simul idem sentiendi necessitas non incumbat, tunc quod unus fieri noluerit, id alter velle poterit; atque iterum hoc etiam casu unius voluntas alterius voluntatem necessario superabit, et qui voluntatem suam exequi non poterit; is non erit Summus Imperans, cum quod faciat alter, ipse facere nequeat.

Imperium itaque dividere aut separare idem est ac destruere illud (1). Omnia enim ejus jura vinculo strictissimo inter se

(1) Scite GROT. in *Apologetic.* c. 2: «Est *unum* Imperium, quod coronae »comparari eaque imagine depingi solet, ejus naturae, ut, parte amissa, sub-

cohaerent, ita ut ab invicem divelli, aut diversis personis conferri nequeant, quin simul corpus reipublicae constituatur, in quo membra non vinculo Imperii, sed pactionibus duntaxat contineantur, quodque adeo sat debile et internis convulsionibus valde obnoxium erit.

Pervenimus autem ita ad quaestionem celebratissimam de divisione Imperii in *potestates civiles*, quae dicuntur. Verum de iis potestatibus non solum in schola distinguendis, sed etiam in ipsa civitatis constitutione prudenter separandis, (quod termino technico dicunt potestatum aequilibrium, *la balance des pouvoirs*) quum inde a MONTESQUIEVII tempore non tantum eruditi, sed rerumpublicarum gubernatores quoque multi solliciti fuerint, hoc quidem argumentum dignum visum est, quod paulo accuratius investigaretur. Quare illud peculiari loco tractabimus.

III.

DE DIVISIONE IMPERII IN POTESTATES CIVILES.

MONTESQUIEVII Imperii divisio, in se spectata, admitti nequit, cum et rei naturae, et logices regulis adversetur. — Imperii juribus inest quidem diversitatis nota, quae discriminis praebeat argumentum: quare si formam respicias, qua sese exserit Imperium, jura ejus ad certa definitaque loca reduci quidem possunt, et in duas functiones sive potestates, legislativam et executivam distingui; sed ex ea distinctione minime sequitur, Imperium in diversas potestates civiles, quae seorsim subsistant, separari posse. — MONTESQUIEVIUS etiam, ubi hanc separationem defendit, ne sibi quidem ipsi constat. — Separatio denique illa Imperii, si quando institui posset, civitati non modo non fructuosa, sed periculi quoque plena foret.

1. — In omni autem Imperii divisione, (si nempe aliqua admitti possit), quatuor haec requiri, recte perspicere mihi

stantiam suam amittat». Qui locus GROTII facilior fit intellectu, si observamus, coronae nomen, parte circuli amissa, senescere.

videor: 1°. ut singulis Imperii partibus eadem tribuantur signa sive eaedem notae, (*praedicata* dicunt logici), quae totum illud, cujus sunt partes, sive Imperium habet. Affectiones enim, quas in genere conspicimus, in specie nequeunt abesse. Qua propter, uti ipsum Imperium summum est, ita quoque quaevis pars Imperii sive potestas civilis summa esse debet. Si enim summa non est, munus erit quoddam civile, quod suam a Summo Imperio vim mutuetur, sed ad illud non pertineat, adeoque non erit potestas (1);

2°. ut unum tantum admittatur divisionis principium sive fundamentum, ne, si plura admittantur, varia divisionis membra commisceantur, quodque unius est ad alterius membrum referatur;

3°. ut divisio ea totum Imperii ambitum ita complectatur, ut quaevis pars, quodvis jus Summi Imperii una alterave potestatum earum contineatur;

4°. tandem ut singulis potestatibus ita separatis limites constituantur, ne quae unius sunt ad alteram referri possint, nec unum idemque jus Imperii simul diversis tribuatur potestatibus.

Mira autem est diversitas rationum, quas secuti sunt auctores varii in divisione sua Imperii instituenda. Diu quidem non plu-

(1) Quod non omnes, qui Imperium dividunt, observasse videntur. Sic. v. c. LOCKE *du gouv. civil* c. 6. § 2. junct. c. 12. § 2. tres disputat esse potestates civiles legisl. conf. et execut, sed inter has legislativam esse summam, a qua caeterae derivantur et cui sunt submissae. — Sic quoque KANT *Metaphys. Anfangsgr. der Rechtsl.* § 49. distinctionem faciens inter Summum Imperantem et Regem, illi potestatem legislativam tribuit, quae summa est, huic vero potestatem executivam, quae ab altera potest destitui. — Eodem modo MEIJER, *Esprit, orig. et progr. des Instit. judic.* T. v. p. 33 sq. potestatem legislativam caeteris potestatibus superiorem censet. — Imo etiam MONTESQUIEVIUS, qui optime apud Imperii separationis fautores audit, potestatem judiciariam potestati legislativae subjicere videtur, ubi lib. XI. c. 6. ait «la puissance législative ne peut pas juger; ..... elle ne peut donc être qu'accusatrice. Mais devant qui accusera-t-elle? Ira-t-elle s'abaisser devant les Tribunaux *qui lui sont inférieurs*?» — Alii aliter. Omnes autem ita, dum Imperium dividere student, revera illud *unum* esse agnoscunt.

res quam tres notae fuerunt potestates civiles, quales proposuit MONTESQUIEVIUS, sc. *legislativa*, *executiva et judiciaria* (1). Haec vero *trias politica* paulatim mirum in modum augeri coepit. In conficienda enim prima constitutione Francica tres potestates illae non amplius sufficere judicabantur, atque hinc addita est potestas alia, quam *administrativam* vocarunt (*pouvoir administratif*). Deinde vero, quum in constitutione ista invenirentur contradictiones quoad potestatem executivam, numerus potestatum civilium novam rursus amplificationem accepit. Crediderant quippe se executivam potestatem tam sapienter a legislativa separasse, ut omnis collisionum occasio esset praecisa; mox tamen apparuit non solum caeteras potestates cum executiva rationes habere contractas, sed in primis etiam in solo rege latere aliam potestatem quandam; imo ex ipsa doctrina, qua regem injuriam facere non posse, ministros vero ad rationes reddendas obligari declarabant, sponte sequi, separandam esse omnino potestatem regiam a potestate executiva, quae penes ministros erat. Exinde igitur alia prodiit potestas, sc. *regia* (*pouvoir royal*). Haec tamen regiae potestatis ab executiva potestate distinctio a paucis scriptoribus politicis primum recepta fuit, et quum postea publice evulgaretur, ab aliis tanquam falsa fuit repudiata, ab aliis non intellecta, a plerisque neglecta. At postquam rerum conversionis furor deflagrasset et monarchia restaurata esset, theoria illa de potestate regia a caeteris potestatibus separanda revocari coepit et singulari quadam arte adornari. Sic notissimus auctor BENJAMIN CONSTANT ex ea fecit potestatem *dirigentem et moderatricem* (*pouvoir regulateur et modérateur*). Simul vero sextam adjecit potestatem nempe *municipalem* (*pouvoir municipal*) (2). Et hoc modo variis additionibus pristina trias politica plus quam duplicata fuit.

Verum cum de divisione ista Imperii diversissimae et innu-

(1) *Esprit des lois* XI. 6. ubi sc. Imperii formam apud Anglos, cui eam potestatem separationem inesse putat, summis laudibus extollit.

(2) *Cours de politique constitutionnelle* c. 1. c. 10. développ. c. 2.

merae pene prolatae sint opiniones (praecipuas tantum memoravi), has omnes ad examen revocare nimis longum fore putavimus (1). Quare missis caeterorum sententiis, solus in censum veniat MONTESQUIEVIUS, quippe cujus doctrina de hac re mirandam ubique diversissimorum hominum comprobationem nacta est. Quae tamen celebritas potius notitiae communi linquae Francicae, quam ipsius doctrinae praestantiae tribuenda videtur.

Divisio autem ejus neque naturae veritate nititur, neque logices praeceptis congruens est. Nam, uti jam supra monuimus, tripartitam Imperii divisionem instituit, nempe in legislativam, executivam et judiciariam potestatem. Jam vero primum duplex in ea invenimus fundamentum, id est, a diversis distinguendi notis ducta est divisio. Potestates enim judiciaria et executiva non differunt ratione, qua sese exserunt, cum utraque in legibus ad causas obvientes applicandis versentur. Differunt tantum ratione objectorum: adjudiciariam sc. pertinent res et actiones singulorum civium interse, sive rerum litigiosarum decisio; ad pot. vero executivam refert ipse MONTESQUIEVIUS pacis et belli indictionem, legatorum missionem et receptionem, securitatis curam caeteraque similia.

Deinde vero diversa iterum ratione potestates executiva et judiciaria a legislativa distinguuntur. Cum enim executiva et judiciaria potestates in eo versentur, ut causas speciales ad normas universales sive leges exigant, potestas legislativa has ipsas normas universales praescribit. Differt igitur ab iis non ratione objectorum, sed ratione ambitus, quo continetur.

Ex his igitur patet divisionem MONTESQUIEVII nullo modo admitti posse, quippe quae duplici nitatur fundamento, cum potestas legislativa ambitu quidem, non ratione objectorum a potestate judiciaria et executiva sit diversa; hae vero omnino

(1) Qui vero eas omnes exponi sibi cupit, adeat specim. jur. inaug. Cons. DE RANITZ, *de Imperio civili in partes distribuendo* in Acad. Groning. anno 1819 defensa c. 2., qui in iis exponendis et dijudicandis multa usus est diligentia.

respectu objectorum inter se differant. Ex quae fundamenti *duplicitate* (sit venia verbo) etiam sequitur, limites singulis potestatibus accurate assignari non posse. Atque ita tota divisio non ea habet requisita, quae supra notavimus.

Probavimus autem potestatem judiciariam et executivam non differre modo, quo sese exserunt, cum propria utriusque vis et ratio eadem sit, sc. ut definiat quid in causa speciali obveniente secundum leges fieri debeat, et forma, qua sese produnt, utriusque sit specialis, non generalis, et *a posteriori*, ut ajunt, non *a priori* praecipiat. His tamen nonnulli objiciunt (1), aliud esse causam quandam obviam legi assumere (*eine bestimmten Fall unter eine vorliegende Gesetz subsumiren*), aliud id, quod ex ea assumtione conclusum est, exsequi (*das, was vermöge dieser Subsumtion entschieden ist, durch die Gesellschaftsgewalt exequiren*). Verum respondemus potestatem executivam non in ipso cogendi actu, in vi physica adhibenda consistere posse, sed in *jure*, vi cujus jubetur, quid in causa obvia secundum legem fieri debeat, ac si forte sint qui jussui resistant, iterum jubetur, quaenam coactio secundum aliam legem hanc definientem adhiberi debeat. Eodem autem modo procedit judiciaria potestas, quae semper quoque decidit, quid leges in causa proposita fieri velint, et ab executiva igitur objectis tantum differt. — Nec magis obstat, quod alii allegant, judiciariam potestatem inquirere tantum, an causa obveniens sub lege sit comprehensa, executivam vero exsequi id, quod statuerit judiciaria. Respondemus enim eodem argumento, id si admitteremus, ad absurda mox duceremur. Nam sic executiva potestas non nisi in vi physica posita esset, quae absque ulla deliberatione simpliciter exsequeretur, quod judiciaria juberet, atque ita executiva potestas esset factum aliquod, eventus quidam rerum, aut actio quaedam a civibus edita, non vero pars

(1) Inter quos in primis FEUERBACH *op. l.* I. p. 29, et p. 30 in not. quocum faciunt HEIDENREICH *op. l.* T. II. p. 34, LOSZ *über den Begriff der Polizei*, etc. p. 15 in not., et HUFELAND *op. l.* § 171.

Imperii, quod totum in jure consistat necesse est (1).

Rejecta vero in se spectata divisione MONTESQUIEVII, videamus num universe Imperium in diversas partes scindi possit. Priusquam autem illud inquiramus, pauca, quae subjiciam, sedulo animadverti velim.

Nimirum jura Imperii ab invicem differre et variis quoque nominibus designari, et ad certa definitaque loca reduci posse, minime negamus; verum haec ipsa jura Imperio ita propria sunt, ut ab eo divelli aut communicari cum subditis omnino nequeant, ac si communicarentur, hi non amplius subditi essent, sed revera Imperii partem tenerent; atque ita (nam singulas Imperii partes *summas* esse debere supra notavimus), plures in eadem civitate exsurgerent Summi Imperantes, quod sane omnem societatis ordinem subverteret. — Deinde verum quidem est, nullum jus *nisi facto aliquo* effectum sortiri posse, atque hoc etiam factum ab Imperante subditis ad executionem demandari posse, sed tamen *jus ipsum* nulla ratione conferri iis potest, quin omnis Imperii et civitatis notio tollatur; quemadmodum, si exemplo uti licet, ususfructus, quod ad perceptionem quidem fructuum sive quod in eo *facti* est, ad tertium transferri potest, verum *jus* ipsum ususfructus ab usufructuario alteri cedi nequit (2). His positis pergamus.

Quemadmodum enim in omnibus, quae sunt aut fiunt, duo distingui solent, *forma* nimirum et *materia*, quarum haec id, quod est aut fit, ipsum significat, illa vero modum et rationem qua fit, qua comparatum est: ita pariter in Imperio, quod in jure consistit praecipiendi ea, quae consilium civitatis exigat, vel ad id ipsum, quod praecipitur, attendi potest, vel ad modum, quo jubetur.

(1) Es muss einleuchten, ait SCHMALZ, dasz man so das Geschäft des Lictors mit dem Amte der Obrigkeit verwechselt. Es is lächerlich dasz eine Obrigkeit den Befehl geben und eine andere, jener doch nicht subordinirte Obrigkeit diese Befehle empfangen und volziehen soll.

(2) l. 66 D. *de jur. dot.*

Jam vero si formam consideremus sive modum, quo sese exserit Imperium, duplicem eum esse deprehendimus. Etenim aut *a priori*, ut dicunt, *generales* a Summo Imperante constituuntur regulae, aut *a posteriori* in causis obvenientibus *specialiter* praecipitur, quid consilium civitatis requirat. Omnes autem illae normae sive regulae generales, quibus antea praecipitur, quid in certo quodam causarum genere fieri debeat, si quando ex eo genere causa emergat, uno nomine *legum* veniunt, et Summum Imperium, ubi circa hujusmodi normas generales constituendas occupatur, *potestate legislativa* fungitur. Ubi vero in singulis causis obviis leges illas ad causas propositas applicat, aut ab officialibus applicari curat, atque ex postfacto declaratur quid secundum leges fieri debeat, Summum Imperium *potestatem executivam* exercere dicitur, eaque adeo Imperii jus est, quo singulis in causis definitur in praesenti, quid ad civitatis consilium assequendum fieri oporteat.

Atque ea distinctio, si bene inspiciatur, omnia Summi Imperii jura continet, atque ideo absolutissima est: non enim alia agendi forma sese exserere potest Imperium, quam aut generaliter a priori leges praescribendo, aut specialiter a posteriori jubendo, quid secundum leges fieri debeat. Quod ut melius intelligatur, observandum, potestatem Imperii executivam (licet nomine in errorem duci facile possimus) minime restringendam esse ita, ut solummodo versetur in exsequendis iis, quae leges in causis singulis fieri praecipiant. Nam si angustiori ea significatione sumatur, multa occurrunt negotia, quae quo referenda sint, dici nequit, quae nempe nullis legibus antea constitutis submissa sunt. Sic, ut exemplum adducamus, bellum indicere, pacem inire, legatos mittere, ad quamnam Imperii potestatem tunc referas? Certe non ad legislativam, nam sua natura haec effugiunt leges: non enim antea generaliter et *a priori* definiri potest, quando et quocum bellum sit gerendum aut pax componenda, aut quid sit agendum, ubi hostes territorium invadant. Neque melius ad executivam potestatem arctiori isto sensu ac-

ceptam referre illa possunt, cum nulla sit lex, quae possit exsequi. Idem valet demultis negotiis ad internam civitatis administrationem pertinentibus, de quibus lex antea ferri nequit. Ex nostra vero, quam dedimus, potestatis executivae definitione sequitur, ad eam referri quoque omnia negotia, quae causa obveniente, vi Summi Imperii, a principe definiuntur, nulla praecedente lege.

Ex quibus deinde quoque patet, hisce potestatibus non diversa posse tribui objecta, nec diversum finem ad quem proxime tendunt; non enim differunt nisi *forma*. Quodlibet legis objectum, objectum simul potestatis executivae est: quamquam ex diverso non omnia objecta esse possunt legislativae potestatis, cum non omnia ad id apta sint; verum omnia quaecumque negotia sine exceptione ad executivam potestatem pertinent, cum omne id, quod ad civitatis consilium spectat, non nisi in causis specialibus possit effici (1). Multo latius igitur executiva quam legislativa sese extendit.

Nec objicias, ubi de usu agitur, eandem hanc distinctionem perpetuo et firmiter servari non posse, ut non aliquando legem simul cum illius executione uno eodemque Summi Imperantis actu comprehensam videamus, et saepe leges jam initium executionis contineant. Nam hoc nihil adversus doctrinam nostram probat, quae manet, licet uno actu Imperium utramque agendi formam exerceat.

Quamvis itaque omnino concedamus Imperii juribus quandam diversitatis notionem inesse, quae distinctionis praebeat argumentum, revera tamen negamus ex ea distinctione varias constitui posse *potestates civiles* sive partes Imperii, quae separatim et *independenter* sint penes diversas personas aut diversa corpora ejusdem civitatis, ita ut singuli, quam partem habent, eam suo jure obtineant, et proprio ex judicio exerceant. Nostra enim

(1) Primis quidem temporibus reges sive Summi Imperantes de omnibus rebus statuere solebant, prout necessitas in quavis causa exigere videbatur; nullis praescriptis antea regulis generalibus, quod de Romanorum regibus narrat POMPONIUS in l. 2. § 1. ff de O. J.

distinctione, quam fecimus, non id significare volumus, ut Imperio jura insint diversa, quae seorsim subsistere queant, sed ut omnia haec jura, licet forma, qua sese exserunt, ab invicem distincta, uno eodemque jure contineantur, nempe toto Summo Imperio, quod ipsum nihil est nisi summum jus media eligendi et adhibendi ad consilium civitatis facientia, sive brevius, jus administrandi civitatem. Non enim Summum Imperium est ejusmodi totum, quod ex partibus heterogeneis constat, quae inter se conjunctae, vinculoque aliquo nexae in unum coaluerunt, ita tamen, ut seorsim quoque singulae partes subsistere possint. Etiam anima unum est, in totum corpus vitam vigoremque dispensans, quae, prout diversas operationes pro diversitate objectorum et organorum producit, partes habere potentiales concipitur. At si fingamus, partes potentiales animae rationalis, intellectum et voluntatem, esse separatim in diversis suppositis, quorum uni solus fuerit intellectus, alteri sola voluntas, neque homo dici poterit tale suppositum, neque humanae actiones ab eodem erunt exspectandae, uno velit immobili semper torpente, altero tanquam caeco nequidquam satagente.

Distinctio igitur illa, quam a forma sive modo, quo sese exserit Imperium, derivavimus, nihil nisi diversas functiones Imperii, diversas agendi rationes exhibet, quas quidem *potestates* appellare licet et nos quoque appellavimus ea mente, quod semper ad Imperium pertineant atque adeo *potestatis* essentiam prae se ferant; sed revera tamen non nisi unum summum jus, una potestas est, atque haec summa potestas varias habet functiones, quae separatim considerari debent. Atque in eum sensum omnia, quae Imperio insunt, jura ad duo loca sive functiones praecipuas retulimus, quarum altera circa *generaliora*, altera circa *specialia* versetur.

Porro functiones illae sive potestates Imperii diversis quidem personis aut corporibus delegari possunt, imo debent, a quibus *exerceantur;* verum semper requiritur, ut hi omnes, quotquot exerceant, judicio cuidam supremo, id est, Summo Imperanti

sint subjecti, adeo ut, sicut modo supra diximus, *factum* quidem mandari possit, *jus* vero semper remaneat penes Imperantem.

Indivisum igitur atque unum non desinit esse Imperium, licet *exercitium* jurium aut potestatum, quae huic Imperio insunt, ab ipso Imperante diversis personis vel corporibus demandetur. Omnia enim jura ista, quamvis a diversis *exerceantur*, ex Imperante tamen, tanquam ex fonte communi, promanant. Penes quem v. c. in Anglia est potestas legum condendarum, qua primarius certe et essentialis majestatis character continetur? Penes quem magistratuum creatio? Penes quem jus bellum indicendi, pacemve componendi? Penes quem jurisdictio? Numquid haec omnia diversis personis radicitus competunt et unum absque alio fiunt? Eo sane modo Anglia tot mox haberet Imperantes, quod essent personae, quibus jurium quorumdam Imperii exercitium delegaretur, cum ita non esset una voluntas eaque generalis totius civitatis, sed tot essent voluntates, quot essent qui jus quoddam Imperii exercerent.

Ergo separatio ista potestatum sive duarum sive plurium, ut nonnulli volunt, eo modo instituta, ut una ab altera nullo modo pendeat, et ab Imperio sit divulsa sive potestatem per se constantem efficiat, res plane absurda videtur. Et, ni hujus introductionis prohiberent angustiae, ad nostram disputationem multum facere duceremus ea, quae facta sunt hodieque fiunt in variis civitatum formis, inquirere, ut sic ipsa historia, veritatis lux, obscuros istius doctrinae errores illustraret, simulque ostenderet, quam infelix profecto genus humanum iis videri debeat, qui civitatum beatitudinem in accurata et perpetua potestatum separatione ponunt, cum nunquam exstiterit talis civitas, neque verisimile sit eam exstituram uspiam.

Caeterum, quam incerto et infirmo fundamento superstructa sit omnis ea Imperii separatio, vel optime effici potest ex ipsorum hujus doctrinae fautorum testimonio, qui, licet Imperium in partes divellere studeant, simul tamen sentientes unum indi-

viduumque esse debere Summum Imperium ac, si dividatur, consensione indigere, separationem illam in civitate nunquam plane et perpetuo admitti posse, fateri coguntur (1). Sic, ut ejusmodi nonnullorum inconstantiam exempli gratia exhibeam, SCHMALZ hoc fere ait: « quaecumque de plena et vera separatio»ne potestatum (*von gänzlicher, wirklicher Trennung der Ge»walten*) dicta sunt unquam, vanae et periculosae theoriae va»na sunt somnia (*ist ein leerer Traum leerer Theorie, und ge»fährlicher Theorie*) » (2). Quacum sententia mirifice convenit, quod observat HEEREN: « Plena potestatum separatio in appli»canda doctrina Politices (*in der praktischen Politik*) res plane »imaginaria (*eine Chimäre*) est » (3). Quin imo eo procedit celeb. SIEYES, ut eandem potestatum separationem anarchiam (*Anarchie*) esse dicat (4).

3. — Disputavimus igitur hucusque Imperium nullo modo in diversas partes sive potestates civiles, quae seorsim subsistant, separari posse. Nunc vero ulterius quoque probare conabimur, MONTESQUIEVIUM in separatione ista Imperii defendenda ne sibi quidem ipsi consonare. Atque hanc MONTESQUIEVII secum ipso contradictionem ideo vel maxime ostendere animus est, quoniam hoc argumentum sententiae nostrae multam auctoritatem additurum speramus, praesertim cum auctor ille celeberrimus tanquam doctrinae a nobis expugnatae quasi praecipuus patronus proponi soleat.

(1) Qui contrariam sustinent opinionem, in alium errorem, in eorum systemate gravissimum, decidere videntur, dum legislativam aut aliam potestatem tantam sibi fingunt, ut reliquae non amplius Imperii partes dici possint: quod jam de nonnullis notavimus p. 49. not. 1.—Add. BENJ. CONSTANT *op. l.* ch. 1, qui in regno *constitutionali*, quod vocatur, quartam quandam mediam potestatem numerat, quae caeterarum dissidia dirimit, atque igitur proprie Summum Imperium tenet.

(2) *Handbuch der Rechtsphilosophie* p. 290.

(3) *Vermischte historische schriften* T. I. p. 404.

(4) *Politische Schriften* II. p. 369. Quem citat VON ARETIN, *Staatsrecht der constitutionnellen Monarchie* T. I. p. 174 not 1.

« Sunt in omni civitate, ait auctor, tres potestatum species, »nimirum potestas legislativa, potestas executiva rerum, quae »pertinent ad jus gentium, et denique potestas executiva rerum, »quae pertinent ad jus civile. Haec autem ultima potestas appel»latur etiam potestas judiciaria » (1).

His vero objiciamus primum quod ipse MONTESQUIEVIUS alio loco dicit. « Potestas (*le pouvoir*) est voluntas generalis civi»tatis » (2); atqui civitas non nisi unam voluntatem generalem habere potest: ergo civitas non nisi *unam postestatem* habere potest.

Deinde apponamus, quae ab anonymo MONTESQUIEVII interprete ad hunc locum notantur, his fere verbis: « Quaecumque »hic ab auctore exponuntur, omnino corrigi merentur. Non »enim *tres sunt* in unaquaque civitate *potestates*; sed *in Sum»mo Imperio*, i. e., in ipsa gubernandi potestate, *tria distin»guuntur potestatis genera*, pro diversitate sc. objectorum in »quibus versatur gubernatio: quae potestas legislativa, potestas »judiciaria, et potestas executiva appellari solent. Prima qui»dem utitur Princeps dum leges sancit; per alteram de civium »actionibus secundum leges a se sancitas sententiam fert; ac »tertiae tandem ope sententiam suam exsequitur. Eo sane sensu »tres illae potestates intelligi debent, *atque his*, quae posui»mus, *convenienter argumentum ab auctore etiam tractari* vi»debimus (3). »

Objiciamus adhuc ROUSSAVIUM MONTESQUIEVIO. « Politici nos»tri, ait, Imperium, quod in sua natura separare nequeunt, »in suis objectis dividunt. Scilicet illud distinguunt in vim et »voluntatem (*en force et en volonté*), in potestatem legislativam »et potestatem executivam (*en puissance législative et en puis»sance exécutive*), in jus tributorum, justitiae et belli (*en droit*

(1) *Esprit des lois.* XI. 6. princ. mihi. T. II. pag. 86.

(2) Ibid. I. 2.

(3) Cf. not. *d.* in edit. anni 1759 Amstel. et Eips. ap. Arkstee et Merkus, T. I, p. 257 sq.

» *d'impôts, de justice et de guerre*), in administrationem inter-» nam et in potestatem cum extraneis agendi (*en administration* » *intérieure et en pouvoir de traiter avec l'étranger*). Omnes au-» tem has partes *modo confundunt, modo separant;* atque ita » ex Imperànte faciunt quasi rem imaginariam (*un être phanta-* » *tique*) ex partibus collatis compositam (*formé de pièces rap-* » *tées*): quod perinde est ac si hominem ex diversis corporibus » facerent, quorum unum haberet oculos, aliud brachia, ter-» tium pedes et nihil amplius. Feruntur circulatores Japonici » (*les Charlatans du Japon*), adspiciente populo, infantem dis-» secare, omniaque ejus membra in altum projicere, ac deinde » infantem vivum et conjunctis iterum membris circumstantibus » exhibere. Talia fere sunt politicorum nostrorum ludiera (*les* » *tours de gobelets*): postquam enim corpus civitatis dissecarunt, » praestigiis quibusdam foro dignis (*digne de la foire*) diversas » partes rursus conjungunt, et nemo scit quomodo (1). »

Acerbissimis hisce verbis, procul dubio MONTESQUIEVIUM insectans, ROUSSAVIUS ludio comparat, quem alibi pulchrum ingenium (*un beau génie*) vocat (2). Sed redeamus ad ipsum MONTESQUIEVIUM.

1°. « Judicandi potestas (*la puissance de juger*) non a se-» natu quodam perpetuo (*un sénat permanent*), sed ab homini-» bus, certis anni temporibus et modo lege praescripto e populo » sumendis, exerceri debet..... Ea ratione judicandi potestas, » quae adeo terribilis inter homines est, non amplius adspecta-» bilis et nulla (*invisible et nulle*) redditur » (3). — Deinde: « Ex tribus illis potestatibus ea, quae in judicando versatur, » quasi nulla est » (4).

Ergo potestas judiciaria non est potestas seorsim per se constans.

(1) *Contr. Soc.* II. 2.
(2) *Contr. Soc.* III. 4.
(3) *Esprit des lois*, ibid. p. 89.
(4) Ibid. p. 91.

2°. « Potestas executiva, quae in rebus internis administrandis versatur, committi debet *Monarchae*, propterea quod ea » gubernationis pars, quae semper fere actionem promptam » (*action momentanée*) requirit, melius ab uno quam a pluribus administratur » (1). Ergo potestas executiva ipse Monarcha sive Imperans est.

Hucusque MONTESQUIEVIO lubenter assentimus. Solum examinanda restat potestas legislativa.

Quid vero sunt leges? Respondet ipse MONTESQUIEVIUS: » leges sunt *relationes necessariae*, quae ex ipsa rerum natura derivantur (2). » Et aliis verbis idem dicit ROUSSAVIUS: « ut » firma esse et durare possit unaquaeque civitas, relationes naturales et leges convenire semper debent in idem » (3).

Hanc definitionem omnino probamus: sed ex ea merito inferimus, leges fundamentales, leges politicas, leges civiles *relationes esse, quae ex ipsa rerum natura derivantur.*

Hinc autem, cum leges nihil sint nisi *relationes necessariae*, quae ex ipsa rerum natura derivantur, relationes illae *necessario* quoque constituuntur, et quominus constituantur homines ad tempus quidem impedire possunt, sed invictam rerum naturam penitus mutare non valent. ROUSSAVIUS dixit, ejusque testimonium veritate congruens minime est rejiciendum: « Si » le législateur se trompant dans son objet, prend un principe » *différent de celui qui naît de la nature des choses*..... l'état » ne cessera d'être agité, jusqu'à ce que ce principe soit *détruit* ou *changé*, *et que l'invincible nature ait repris son* » *empire* » (4).

Naturam ideo seu generalem societatis voluntatem in civitate leges facere non dubium est; et duplici quidem modo:

vel enim in civitate consuetudines introducit, quae vim

(1) *Esprit des lois*, pag. 95.
(2) Ibid. I. 1. Cf. infra pag. 81, quo loco hujus definitionis ratio exponitur.
(3) *Contr. Soc.* II. 11.
(4) *Contr. Soc.* II. 11. in fin.

legum obtinent, et quarum causa et origo plerumque ostendi nequit; —

vel legum, quae jam exstant et quae defectivae sive imperfectae sunt, vitia indicat per ipsum genus malorum, quibus civitas propter leges illas afficitur; haud secus ac in corpore humano remedium sive medicinam, quae ad sanandum adhiberi debet, per ipsum genus morbi indicare solet.

Exinde sola natura in civitate leges ferre debet et revera fert, ita ut Imperans nunquam *novas* leges facere (1), sed nihil agere debeat, nisi in leges *scriptas* redigere vel consuetudines, quas natura sive civitatis voluntas generalis constituerit, vel mutationes, quas illa necessarias esse docuerit. Haec vero scribendarum legum facultas soli Monarchae competere potest, quippe qui generalis voluntatis totius civitatis exercitium et velut organum est, quique adeo legibus condendis nihil aliud agit quam declarare generalem civitatis voluntatem, et non nisi quod ea praeceperit aut constituerit, ipse jubere et praescribere.

Ergo si legum naturam, quam ipse MONTESQUIEVIUS tradit, et quae ex illa sequuntur, diligenter perpendamus, evidens est, potestatem legislativam non esse potestatem, quae seorsim a caeteris Imperii juribus per se sola constet, sed soli Imperanti sive Monarchae competere nec ab eo divelli posse. Id enim si fieret, duo Summi Imperantes in civitate constituerentur, praesertim cum in ferendis legibus supremum maximumque Imperii gradum consistere non absurde dicatur (2). Nam cui jus legum condendarum conceditur, ei aut ridicula provincia mandatur, aut revera ad Summum Imperium admitti debet. Quare non

(1) Atque hanc veritatem agnoverunt ipsi quoque novatores, qui saeculo ante hoc proximo Franciam conturbarunt et pene diruerunt: ut enim *potestatem legislativam*, qua ipsi potiri possent, opus esse simularent, fingebant Franciam carere legibus tam politicis, quam civilibus; quasi societas aliqua politica uno quidem die *servari* potuisset, cui defuissent leges ad ejus *conservationem necessariae*.

(2) L. 3. ff. *de jurisd. omn. jud.*

ineleganter tam Solon, quam Decemviri, *Procuratores* Reipublicae suae fuisse dicuntur, ut, finito quomodocunque eorum magistratu, ne et legis simul exstinguerentur, *populus* (penes quem, utpote in civitate democratica, Summum Imperium erat), consensu suo se his obligare debuerit, tanquam si illi leges scripsissent, populus jussisset, illi tulissent, populus scivisset (1).

Ex hisce autem omnibus patet MONTESQUIEVIUM in defendenda Imperii separatione, sibi ipsi non constare. Nam, uti vidimus, potestatem, quam vocat, judiciariam, quasi *nullam* esse, potestatem vero executivam Monarchae tribui debere agnoscit; ac denique potestas ejus legislativa legum naturae, qualem ipse explicavit, quam maxime adversatur.

4. — Postquam vero probavimus neque divisionem MONTESQUIEVII in se spectatam esse admittendam, neque universe Imperium in diversas potestates civiles, quae seorsim per se constent, dividi posse, sed unam esse potestatem, quae diversas functiones habet, atque hoc etiam confirmavimus ex MONTESQUIEVII secum ipso repugnantia, restat ut postremam quoque inquisitionis nostrae partem paucis exponamus, sc. separationem Imperii, si quando institui posset, non modo civitati non utilem, sed quoque plenam periculi fore.

Potissimum argumentum auctorum, qui pro separatione pugnant, illud est, quod si uni eidemque personae tribuatur legislativa et executiva potestas, Imperium, cum totum ab uno teneatur, facile admodum ad abusum converti queat, ita ut mox exsuletur civilis libertas. Potest enim legislator, uti ajunt, ipse sibi leges exsequenti, ingentem per leges suas tribuere potestatem, eaque abuti. Contra si legislativa potestas uni sit tributa personae, executiva alteri, legislator in legum executionem non majorem transfert auctoritatem ac potestatem, quam qua indiget ut leges possit exsequi: cavebit enim, ne is, qui

(1) Quod sane in propositis XII. Tabb. legibus satis evidenter apparet apud LIV. III. 32. sqq.

executivam potestatem exercet, ipsius legislatoris jura sibi sumat (1).

His vero recte objicitur, injustam administrationem atque civium oppressionem non nisi in singulis causis ac rebus locum habere posse. Hinc executivae potestati, quae de singulis causis statuit, plus periculi inest, eamque oppressionem, si legislativam et executivam potestatem conjunctas una persona teneat, non per leges efficiet, sed abutendo in singulis causis potestate executiva. Quapropter separationem legislativae potestatis ab executiva nullam utilitatem habituram apparet.

Deinde vero, si diversis personis duae potestates tribuantur, in legislativa potestate non erit vis, qua possit resistere executivae potestati tyrannidem affectanti. Licet enim legislativa potestas executiva, nullas tamen habet vires, quibus efficiat ut leges effectum sortiantur, quibusque legis contentum aut neglectum impediat. Licet igitur separentur, nullum adest praesidium, ne qui legum executionem habet, sua potestate abutatur.

Acutissimus denique KANT (2) separationem potestatis executivae a legislativa probat ideo, quod si secus esset, legislator suis ipsius legibus esset subjectus, quas exsequi deberet. Sed recte respondetur, nihil continere repugnantiae, si quis leges ferat, quas ipse ad executionem ducere debeat, quibusque ipse se submittat. Sic humana ratio legem agendorum praescribit, cui legi ipsa obtemperat.

Hisce autem omnibus probatum est, nos jure dixisse, separationem Imperii, si quando institui posset, civitati nullo modo fructuosam fore: imo potius statuendam videtur, eam sine magno periculo locum habere non posse et repugnantiam involvere: nam

Primo, si diversis personis tribuantur jura Imperii, inde enasci poterunt collisiones, quibus fit, ut negotia civilia exitum non habeant; neque intelligo quale sit corpus, cujus membra disjuncta nullo vinculo cohaereant.

(1) Cf. inter alios BLACKSTONE, *op l.* b. I. ch. 2 mit. b. I.

(2) *Op. l.* § 49.

Ac secundo, si verum esset in civitate varias potestates existere a se invicem omni modo liberas, quid, quaeso, impediet, quominus una harum potestatum sibi arroget auctoritatem ipsi non propriam, qua reliquas potestates vel opprimat vel penitus enervet? Quis erit judex sive arbiter, ubi fortasse contestatio inter hanc illamque potestatem orta fuerit? Quomodo effectum sortientur, quae v. c. a potestate legislativa jubentur, si executiva potestas ea exsequi recusaverit? Pendebit igitur civitatis salus a diversarum potestatum concordia, et si non sint concordes, mira inde nascetur rerum confusio et perturbatio. Consensio vero ista ne sperari quidem potest, sed revera quaeque potestas, a caeteris disjuncta, vim suam augere conabitur, ita ut inter diversas potestates pugna sempiterna existat, donec una earum omne Imperium usurpaverit.

Et tertio tandem, cum *summum* esse debeat quodcumque jus Imperii, hinc, si diversis personis diversa Imperii jura seorsim tribuantur, monstrum exoritur πολυκάρηνον, atque civitatis notio plane absurda. Legislativa enim potestas feret leges pro suo arbitrio: eas vero executiva potestas pro suo iterum arbitrio exsequetur, de modo executionis nulli rationes reddere obligata. Hinc potestas legislativa omni auctoritate destituetur, qua possit curare, ut leges suae effectum obtineant, atque omnis suprema potestas erit penes eum, qui leges exsequetur, cum tamen, uti supra observavimus, cui jus legum ferendarum conceditur, ei aut ridicula provincia mandetur aut revera ad Imperium admitti debeat.

Quodsi igitur diversae Imperii potestates a se invicem separatae fuerint, plures erunt in civitate tyranni, quorum quisque omnem auctoritatem sibi arrogare sine dubio conabitur; neque amplius civitas uno Imperio gaudebit, sed multiplici premetur servitute. Adeo ut non incongrue HALLER (1), ubi acerrime in hanc potestatum civilium inter plures personas aut plura corpora distributionem invehitur, eam inventum nuncupet ex

(1) *Handbuch der allgemeinen Staatenkunde* p. 275 Anm. 27.

Tartaro profectum, nec aliquid pejus excogitari potuisse existimet, quod ad evertendam rempublicam magis ubique faciat.

IV.

DE VARIIS IMPERII FORMIS, ET QUAENAM SIT OPTIMA.

Omnes Imperii formae suis incommodis aut periculis laborant, et simul proprium quoddam ac relativum bonum habere possunt. — Quaestio igitur, quaenam ex iis sit optima, absolute quidem et a priori quoad omnes populos, solvi nequit. — Perspecta tamen cujusque formae in homines, inque societatis ordinem efficientia, forma monarchica optima dicenda videtur. —

1. — Quemadmodum in vita humana nihil plenam perfectionem admittit, sic etiam, ubi varias rerumpublicarum formas accuratius investigemus, fatendum est, omnes habere sua commoda, laborare quoque omnes incommodis suis. Verum enim vero quae in unaquaque illarum vitiosa aut morbida sunt, sedulo agnosci solent, deque iis continuo sermo habetur, propterea quod ex istis vitiis continuo mala pati existimemus; quae vero in eadem civitatis forma utilia et opportuna sunt, non nisi raro et a paucis attenduntur, propterea quod his commodis nos pati prohiberi facilius quidem, quam bono affici, sentiamus.

Solent quoque homines per vocabula, quibus utuntur, non solum res, sed et sui animi affectus, puta amorem, odium, iram, et quanti illas aestiment, una significare. Scilicet in omni re quod uni arridet, alii fastiditur, et eam saepe quisque reipublicae formam expetit, in qua maxime honoratur. Probe igitur examinandum est, ubi odiosa aliquando nomina Imperiis vel Imperantibus imponantur, utrum illa hisce merito conveniant, an solum animi ejus, qui eadem adhibet, indicium et

expressionem ferant. Fieri enim posse intelligitur, ut nonnunquam *tyranni* nomen etiam in bonum principem devolvatur ab iis, quibus ipse vel praesens status displicet.

Atque ex his tamen causis oritur opinionum de Summis Imperantibus deque formis Imperii summa saepe libido et iniquitas! Nam alii, qui in democratia educati sunt, magnum, quod revera est, discrimen inter absolutam et arbitrariam potestatem (1), nullomodo perspiciunt, et servos appellant, quos Imperio monarchico vident subjectos. Alii, quibus paucorum regimen magis placet, studium libertatis, qua nihil sanctius, nihil optabilius praedicare amant, tantam ajunt in omnium animos vim et auctoritatem exercere, ut eos cuncta moliri veluti cogat, si quando peregrina dominatio repellenda fuerit: quasi vero gentes, quae sub Imperio monarchico vivunt, libertatis stimulos penitus ignorent, ac ideo minus liberi sint, quam qui a senatu reguntur, quia dominos suos non, ut illi, multiplicari velint.

Ita sane Graeci, postquam sub regibus longam malorum seriem experti fuerant, summam civitatis felicitatem in libertate populari fere existere judicabant, et quoslibet monarchas *tyrannos* appellabant: nulla ratione habita, num illi potestatem sibi legitime acquisivissent, numque Summi Imperii officia religiose observarent, nec ne (2). Sic etiam apud Romanos, qui tamen primum regibus paruerunt, posteaque diu rejectam monarchiam receperunt, regis nomini perpetuam velut detestationem adhae-

(1) Academia Francica in prioribus *Dictionnarii* sui editionibus voces *absoluti* et *arbitrarii* synonima fecerat, in posterioribus vero distinxit ab invicem, atque hodie, postquam Politica emendatius loqui coepit, non nisi hujus et grammatices plane ignaris, eadem confundere licet. Philosophus quidam, VICTOR COUSIN, cujus apud multos hodie magna est auctoritas, in opere suo *fragmens philosophiques* pag. 153. ita ait: « *le contraire de l'arbitraire* logiquement et » grammaticalement parlant, C'EST L'ABSOLU. »

(2) Sic Plato, Aristoteles, Xenophon aliique de officiis *tyrannorum* scripserunt, non quod malorum principum essent patroni, iisve abutendae potestatis regulas dare vellent, sed quod indistincte omnes et dicerentur et haberentur tyranni, qui perpetua essent potestate.

sisse, atque odium illud in quosvis alios populos, unius Imperio subjectos, haud semel transfusum esse novimus.

2. — Quamvis igitur plerumque propter varietatem ingenii humani aut male composita multorum desideria, de variis Imperii formis falso judicetur, negari tamen non potest, malorum in rebuspublicis, non minus quam in singulis hominibus, uberrimam dari segetem.

Morborum enim, quibus civitates infestantur, alios videmus oriri ex malitia hominum, alios vero ex prava ipsius civitatis structura. Inde autem alia vocari solent *vitia hominum*, alia *vitia status* (1). Haec quidem, ut nonnulla exempli causa notemus, arguere licet, si leges et instituta vel genio populi regionisve non conveniunt, vel cives ad turbas internas disponunt; aut si nulla religionis cura habetur; aut si male educationi civium favetur et animorum cultus impeditur; aut denique si administratio civitatis ita ordinata est, ut per eam negotia publica non possint non tarde aut difficulter expediri.

Porro vitia, quae ex malitia hominum oriri diximus, vel singulis Imperii formis propria sunt, vel in omnes ejusdem species cadere possunt. Sic in *monarchia* vitia hominum sunt, si, qui solio insident, regnandi artibus sunt destituti, nullaque aut non sufficiente cura rei publicae tanguntur; si adulatorum pravis consiliis faciles nimis aures praebent; si saevitia, aut iracundia, aut voluptate, aut fastu, aut avaritia sunt terribiles; si magis bella quam pacem amant; et si quae sunt alia, per quae mali principis nomen comparatur.

Sic item in *aristocratiis* (quae ut vere tales sint, ex paucis, sed iisdem absolute bonis et virtute praeditis constent necesse est), vitia hominum sunt, si viris improbis aut ineptis, exclusis melioribus, via ad senatum facile patet; si optimates plebem per superbiam, infaustum saepe nobilitatis malum, injuriis afficere, bonaque civitatis, augendo privato dominio, intervertere student.

(1) Cf. PUFEND. *op. l.* VII. 5. 11.

Ita quoque in *democratia* vitia hominum sunt, si turbulenti tribuni et flabella plebis sententias suas importune tuentur; si crebrae agitantur aemulationes cum divitibus; si sordidi et ignari homines rebus gerendis praeficiuntur.

Sic tandem in qualicunque civitatis specie vitia hominum sunt, si quibus administratio reipublicae incumbit, male aut negligenter officio funguntur; vel si cives, quibus sola obsequii gloria relicta est, superbe dominantur frenumque mordent: aut si contra nimis humiliter serviunt, libertatem vero, quae media est, nec spernere modice, nec habere sciunt.

Ergo malorum in singulis rerum publicarum formis tres haberi debent causae: scilicet prava ipsius civitatis dispositio, Imperantium libido, subditorum licentia. Neque est, quod miremur, unamquamque Imperii formam, vitiis laborare: Imperium enim adversus mala ab hominum pravitate imminentia constitutum fuit: humanum vero est, ut saepe malum non nisi per malum aliud evitari possit, et aliquando etiam medicina vehementior sit morbo. Imperantium et subditorum affectus vix conciliari queunt, et si interdum illi potestate abutantur, non minus hi suis juribus abuti solent.

3. — Quum igitur tot tamque fertiles sint malorum in rebuspublicis causae, vehementer errare videntur, qui civitatem omnibus numeris absolutam unquam constitui posse existiment. Equidem singulas Imperii formas ita comparatas esse putem, ut omni omnino incommodo carere nequeant, praesertim cum illa sit vitae humanae conditio, ut plenam perfectionem homines assequi non sinat, atque horum solertia non suam usque felicitatem adaugere, sed solum mala, quibus gravantur, diminuere plerumque valeat. Ac si vel maxime constitutionem aliquam omni vitio liberam excogitaveris, quin imo civitatem Republica PLATONIS excellentiorem finxeris animo, tamen, ubi eam exsequi volueris, mox apparebit, ideas illas de perfecta constitutione civitatis otio comtemplationis esse relinquendas, et veluti somnia, pulchra quidem, sed nunquam exstitura consideran-

das (1): etsi etiam utile sit hominibus perfectionis imaginem nonnunquam exhibere, ut ad eam, quam possint proxime, accedant.

Cum itaque inevitabile sit, quominus omnes institutiones politicae suis vitiis laborent, patet quam difficilis et pene tamen inutilis sit controversia de formarum regiminis praerogativa. Singulae enim in se bonum quoddam proprium ac relativum habere possunt, et si electio facienda sit, operis molestiam haud multum allevabit ipsa experientia, optima caeteroquin magistra. Unde enim repetemus exempla? dixeris forsan ex historia et populorum, quibuscum vivimus, conditione: sed dubia haec et incerta subsidia. Nam ubi tempora sive praeterita sive praesentia exploramus, certos videmus effectus, quos statim huic illive causae adscribere non dubitamus, etsi tamen permultae aliae causae, quae perspicacissimos oculos fugiunt, ad istos effectus producendos multum conferre potuerint. Deinde vero, satisne semper nobis persuasum, effectus ejusmodi, etsi facilius a nobis quam causae deprehendi queant, non imaginationis nostrae phantasias esse? Ac si vel maxime de causis effectibusque constiterit, nonne tamen rerum circumstantiae adeo variari solent, ut inter diversos populos aut diversa tempora nulla constitui possit paritatis ratio, atque interdum etiam in gravissimos errores inducamur, ubi analogias invenire nobis ipsi videmur? Exempla igitur plerumque fallacia, eorumque applicatio semper difficilis, et aliquando periculi plena.

Nec vero praeterea theoriam per se bonam cuivis populo aptam esse crediderim (2). Uti enim in musica toni dantur a se

(1) Idem aliis verbis recte observat A. KLUIT in oratione *over het misbruik*, etc. p. 89: »dat alle de beschouwende samenstelsels en heerlijke voorschriften »om eene staat wel in te richten, nog nooit eene *volmaakten* Burgerstaat »hebben opgeleverd, waarin de vorst óf de overheden niet meerder heersch»zuchtig waren dan de onderdanen, en de onderdanen niet meerder dan de »overheden.»

(2) Une des grandes folies de nos temps modernes, est celle de chercher quel est en théorie le gouvernement le plus convenable à la nature humaine,

invicem differentes et diversi, intra quos necesse est ut cantus decurrat, suaque Ionico, sua Dorio, sua Lydio, sua Aeolico est mensura, quae μετάβασιν haud admittit: ita dantur etiam in hominum societatibus certae formae innatae quasi aut connatae, quas transgredi ullo modo nefas est. Et haec causa est, ob quam non liceat optimam in quovis populo applicare reipublicae formam; et qui tale quid conatus fuerit, magno suo malo experietur cum ingeniis hominum sibi negotium esse, et naturam ipsam a se temere expugnari. Ut enim populi cujusdam conditioni institutiones quaelibet rite aptentur, eas proprium aliquod ac speciale atque hoc ipso novum quid habere oportet: sed tunc quoque, quibus alias ad moderanda praesentia ac futura praevidenda tam sapienter dirigimur, ipsis experientiae praeceptis destituimur (1).

Quare optimam regiminis formam eam sine dubio arbitror, quam a natura et tempore, ut ita dicam, populus accepit; nec ullam civitatis constitutionem vel *a priori* scriptam fuisse vel scribi potuisse credo. Estque hoc doctrinae caput, quod intimo animo probare non desinam, vere fundamentale, cui testimonium dicit omnium populorum historia, qui veram libertatem et cognoverunt et cognitam servarunt, quodque exstat apud celebratissimos scriptores politicos, acerrimosque jurium populorum defensores. Cui tamen sententiae, ne longa disceptatione a via aberremus, hic quidem supersedendum ducimus; ac solum inquiremus, quamnam singulae Imperii formae in homines inque omnem societatis ordinem habeant efficientiam: qua demum rite perspecta, quaenam ex illis optima dicenda sit, colligere deinde licebit.

Scilicet saepius disputatur de praestantia formarum reipubli-

et de vouloir ensuite l'imposer à tous les peuples. — J. Droz, *Applic. de la mor. à la polit.* Ch. 3. p. 21.

(1) Auctor quidam admirabilis ingenii, eleganter nec minus vere ait: «Qu'est-ce qu'une constitution? n'est ce pas la solution du problême suivant? »Etant données *la population, les moeurs, la religion, la situation géographique, les relations politiques, les richesses, les bonnes et les mauvaises qualités d'une certaine nation, trouver les lois qui lui conviennent.*»

cae, quaenam alteri praeferri mereatur eo nomine, quod vel per eam salus civitatis expeditius et certius procurari possit, vel quod vis Imperii minus ad abusum pateat. Jam autem, uti vidimus in superioribus, hoc apertum est, nullam gubernationis formam ita posse adornari, ut omni incommodo aut periculo careat: omnis itaque quaestio eo redit, ut inquiramus, in quanam regiminis forma minus malorum sit metuendum. Et licet ea quaestio a cunctis fere scriptoribus politicis fuerit agitata, et plerique inter eos pro monarchia calculum posuerint, res tamen quotidie novis et multus disceptationibus ansam praebere solet. Plurimi quippe auctores, qui monarchiam caeteris praestare judicarunt, in statu monarchico scribebant, atque hinc eorum judicium, ob opinionis praejudicatae suspicionem, non sine jure quodam recusare licet. Ubi enim a re, de qua agitur, nimis remoti sumus, hanc non nisi confuse et raro quidem totam intuemur; ubi vere contra nobis nimis vicina est, non nisi eam attendimus nec cum aliis satis conferimus. Ut igitur haec duo mala evitare, et quaestionem ab omni praejudicio alieni solvere possemus, inter varias Imperii formas ita deberemus esse collocati, ut omnes quidem ante oculos haberemus, nulli vero essemus addicti. Verum cum per ipsam naturam in una alterave civitatis specie necessario vivamus, integritatem servare quam difficile sit, cuique apparet.

Dicenda nihilominus est sententia: quaestionem igitur, quantum viribus licebit, solvere conabimur. Ne tamen justo longiores simus, in aliorum opinionibus sive exponendis sive refutandis versari nolumus, sed solum, uti nobis videtur res sese habere, breviter dicemus. In dijudicandis autem singulis Imperii formis non modo mala, quae comitari eas solent, enumerare, sed quoque commoda et perfectionis commendare liceat: est namque iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectio. Perpensis vero ubique aequo animo commodis et incommodis, facilius et justius erit deinde judicium.

4. — Summum Imperium aut uni tribuitur, aut delectis quibusdam, aut multitudini atque omnibus. Si penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus et *monarchiam* sive regnum ejus reipublicae statum. Si vero civitas optimatium arbitrio regitur, *aristocratia* dicitur. Ubi tandem in populo sunt omnia, *democratia* sive civitas popularis est (1).

Quae quidem genera primum vitiis obnoxia sunt, quae supra notavimus; deinde habent multa perniciosa alia. Nam in monarchia, ubi unius voluntate omnia fiunt, reges Imperio quandoque abutentes, dum aliis imperant, suis serviunt libidinibus, legesque ponunt populo, quibus ipsi non pareant. Enimvero fateor monarchicam potestatem, nisi sinistre explicato vocabulo *absoluti*, aut nisi hominem fingas nulla erga Deum pietate, nullo erga populum pudore, nulla erga se ipsum conscientia constrictum, nihil calamitosum aut liberis hominibus intolerabile continere; sed in eo tamen periculum habet, quod unius hominis judicium, ab erroribus non immune, in despiciendis iis, quae ad utilitatem reipublicae faciant, facile decipi possit, nec tanta sit omnibus animi firmitas, ut in maxima licentia moderentur sibi et quasi frenum cupiditatibus injungant (2).

Aristocratiam premunt factiones, honorumque contentiones, et tardae deliberationes; flagitia procerum manent inulta (3); crebro in senatu alter alterius potestatis impatiens est, et unus tandem exsurgit, qui assentando omnia regit. Porro, cum saepe rempublicam opes paucorum non virtutes teneant, nomen optimatium illi principes mordicus ferunt quidem, re tamen carent eo nomine. Divitiae vero, ut praeclare ait TULLIUS (4), vacuae

(1) Cf. CIC. *De Rep.* I. 26.

(2) *Χαλεπὸν μετρῆσαὶ τε καὶ ὅρον ἐπιθυμίαις ὑπηρετούσης ἐξουσίας.* HEROD. I. 4.

(3) Unde ingeniose VOLTAIRE alicubi (locum non praecise memini), nefarium quoddam facinus memorans, justa indignatione motus, talia ab immanissimo quidem tyranno perpetrari non potuisse dicit, sed impune ac confidentissime a pluribus in coetu conjunctis, quippe atrocitate vindictae gaudentibus, nemine vero opprobrium facti ad se pertinere putante.

(4) *De Rep.* I. 34.

consilio et vivendi atque aliis imperandi modo, dedecoris plenae sunt et insolentis superbiae, nec ulla deformior species est civitatis, quam illa, in qua opulentissimi optimi habentur. Neque immerito PLATO rempublicam a viris solum divitibus administratam navi comparat, in qua secundum census aestimationem gubernatores eligerentur; pauper vero, etsi gubernandi artis peritior, non admitteretur.

Sunt tandem, qui democratia nihil praestantius, nihil liberius, beatius nihil judicent, hancque solam rite rempublicam, id est, rem populi vocari. Verum non vident illi, miserrimum plerumque esse istiusmodi reipublicae statum ob civium mobilitatem et inconstantiam, maxime si accedant demagogi, quorum incitata stimulis plebs furit et rapit, omniaque sursum deorsumque versat, donec demagogorum aliquis tyrannidem occupet. Nec attendunt hoc praeterea commune vitium reperiri in popularibus civitatibus, ut invidia gloriae comes sit, et libenter de his detrahat vulgus, quos eminere videt altius, neque animo aequo pauperes alienam opulentium intueantur fortunam (1). Atque eo modo stultitia plebis perverse libertatem definit, eamque in licentiam mutat, in qua omnia sibi licita putat, quoniam omnium faciendorum facultate gaudet: in secundis rebus exsultans, in adversis furibunda, beneficiorum immemor, ultionis cupida, nec ullum in libidinibus modum agnoscens (2). At sic nimis liberum populum libertas ipsa servitute afficit (3).

Porro commune etiam malum aristocratiae et democratiae est, quod factiones et dissensiones, quibus necessario agitantur,

(1) Cf. NEPOS in vita Chabr. c. 3.

(2) Quand le peuple est maître, on n'agit qu'en tumulte,
La voix de la raison jamais ne se consulte,
. . . .
Le pire des états, c'est l'état populaire.
CORNEILLE, *Cinna* act. 2. sc. 1.

(3) Maer veel te los en al te vrij,
Dat leyt een gront tot slavernij.
CATS I. p. 76. edit. Feith.

coercere nequeant nisi per vehementiores tumultus aut magis praesens periculum, i. e. nisi bellum gerendo aut illud timendo (1). Sic Romani, ut domi tranquillitas servari posset, per totum pene orbem terrarum bella commoverunt, et postquam nihil amplius invenirent, quod diruerent, ipsi sibi exitium pararunt. Sic quoque Athenae, quamdiu vicinos timerent, steterunt, at, quum nihil amplius formidarent, perierunt.

Ex supradictis autem constat unamquamque Imperii formam facile ad contraria mala degenerare, ita ut ex rege exsistat dominus sive *tyrannus*, ex optimatibus factio sive *oligarchia*, ex populo turbà sive *ochlocratia*. Verum, quemadmodum singulae periculis abundant, ita quoque singulae suas perfectiones habent. In democratia namque, ubi populus legum condendarum dominus est, insigniter eminet publica virtus, id est, virtus, ut ita dicam, politica, sive studium communis utilitatis. Adde, quod magni hominum coetus, etsi ad deliberandum tardi et ad exsequendum fere inepti plerumque tamen quod rectum justumque est, facere cogitant, et generoso quodam patriae amore stimulantur.

In aristocratiis vero, cum senatus ex peritissimis civibus constet, vel saltem constare debeat, plus erit consilii, et quibus delata est summa potestas non omnes simul facile mali fieri possunt; et paci et quieti summa cura studebunt, ne alioquin eorum bonis, dignitatibus aut personis incerto belli eventu periclitentur; licet ob ipsam aristocratiae indolem, qua semper internis motibus obnoxia est, plerumque frustra paci providebunt.

At denique monarchia utramque in eo potissimum superat, quod sit firmissima, magisque duret, et facilius gubernetur. Estque Monarcha, cum sit quoque una persona physica, in proxima semper potentia ad actus Imperii exercendos, et quidem ita, ut unum idemque in rebus gerendis propositum ser-

(1) Il faut qu'une république redoute toujours quelquechose, ait Montesq. *Esprit*, VIII. 5.

vari possit, nec pro factionum personarumve mutatione perpetuo illud vacillet aut varietur.

5. — Quibus subjectis rationibus monarchiam ex variis Imperii formis omnium optimam probamus. Contradicunt tamen vanae nonnullorum declamationes, monarchiam scilicet jucundissimo libertatis sensu carere; sed verissimum esse contendimus, non minus in regno, quam in aristocratia vel etiam democratia libertatem vigere posse. Et ne temere loqui videamur, lubet excutere rationes, quibus tantopere libertatem illam, quam in sola monarchia habitare negant, evehere gaudent. Cur enim aristocratiam et democratiam *liberas civitates*, quasi per excellentiam, appellant? An quia in illis cives Imperio non pareant? Sed tam in liberis istis rebuspublicis, quam in regno, ut subsistant, Imperium requiritur et revera est: ex quo tamen simul proxima exsistit obsequii causa in civibus. — Vel an forsan eo nomine utuntur, quia in iis Imperium mitius atque asperitate minus odiosum sit? Sed hoc genuinum aristocratiae ingenium est semperque fuit, opprimere ac justitiae intercludere viam; sed nihil solutius aut magis effrenatum, nihil audacius aut magis indomitum, quam insolentia multitudinis in democratia (1). — Vel denique an ideo easdem liberas esse putant, quia ab ipsis civibus civitas gubernetur? Sed etiam Monarcha pars est civitatis, et non felicior haec exsistit, si a pluribus, quam si ab uno regatur.

Quare nunquam Imperium, cujus natura est benefica; protegens, aliorumque salutem procurans, *per se* in reipublicae perniciem tendit (2), modo in omnibus populi salus suprema lex habeatur. Neque libertas neque tyrannis hanc vel illam regiminis formam necessario comitatur. Si enim juste et pru-

(1) Montesq. in *op. l.* XI. 19, probat civitates populares, tam aristocratiam quam democratiam, non nisi despotico modo gubernari posse, et proconsules Romanos vocat *les bachas de la république.*

(2) Il n'y pas de forme de gouvernement qui par elle-même voue un peuple au malheur. J. Droz, *op. l.* ch. 3. p. 24.

denter instituatur civitatis administratio, sancteque colantur Imperii officia, libertas in monarchia laetissima floret; si secus, tyrannis in liberis illis, quas vocant, rebuspublicis, tristissima saevit. Nec vero etiam minorem illas, quam formam monarchicam, proclivitatem ad tyrannidem habere ex historia patet, cum saepe durissima et vix tolerabilia perpessi fuerint populi, apud quos non unus, sed plures summam rerum tenebant, veluti Athenienses, cum essent triginta tyranni, Romani sub Decemviris, Triumviris.

Neglectis vero hujuscemodi vociferationibus calumniosis, videamus quibus praeterea sese commendet monarchia. Ac primum quidem antiquissimum est Imperii genus (1), atque hoc ipso naturae convenientior: nec mirum, cum in ipsa patris auctoritate, quin adeo in ipsa natura exemplum ac fundamentum habuerit (2). Assueti enim homines uni patrifamilias obsequium gerere, illiusque imperata facere, in civitatem transilientes ex omnibus *unum* constituere, qui munus Imperii obiret.

Omnes quoque populos principio regimine monarchico usos fuisse, ex historia docetur. Sic inclyta Roma primum reges habuit, et postea intestinis motibus diu convulsa et bellis civilibus fatigata, ad monarchiam reversa est. Sic Graecorum cum Ulysse apud Homerum antiqua opinio erat, *non bonum esse multos imperare: unum oportere esse Imperantem*, *unum regem* (3); et non nisi serius atque ex ipsis monarchiarum ruinis civitates suas populares aedificarunt. Quin imo, ut ad citeriora veniam,

(1) Regium in terris nomen Imperii primum fuit. Sall. *Catil.* 2. — Omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. Cic. *de leg.* III. 2. — Perperam igitur Pufend. *op. l.* VII. 5. 4. cum hobbes. *de cive* VII. 8, democratiam antiquissimam facit, repugnante historia tam sacra, quam profana.

(2) Natura commenta est *regem*. Senec. *de Clem.* I. 19. Monarchiam autem inter omnes Imperii formas maxime naturae hominum convenire, vel ex eo optime probare licet, quod in ea sola leges fundamentales reperiantur. Cf. infra pag. 87 sqq.

(3) *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.*
Iliad. II. v. 204.

per universam Europam nullae fuerunt *respublicae*, quas non aliquando monarchae gubernarunt. Respublica enim foederativa Helvetiorum non nisi post concisam Austriam, cujus pars erat, constitui coepit. Belgii foederati provincias quondam complectebatur monarchia Hispaniae et domus Burgundicae, atque etiam hodie in iis forma monarchica restituta est. Lucca, Genua, Bononia, Florentia aliaeque Italiae urbes, regnante Imperatore RUDOLPHO, libertatem suam politicam magnis pecuniis emerunt. Venetiae quoque, quae vetustate reipublicae suae gloriabantur, primum tamen sub CAROLO MAGNO diuque post Imperatoribus subjectae fuerunt: dehinc, postquam longo tempore populare regimen admiserant, formam aristocraticam sibi adoptarunt; ac tandem una cum caeteris Italiae urbibus sub dominationem Austriae redierunt.

Praecipua deinde, eaque efficacissima monarchiae virtus in eo sita est, quod in ea potestas revera sit *una* (1), siquidem nulla civitas firmior est, quam quae ab uno regatur, quippe in qua omnia, moderante unius voluntate, ad finem ejusdem assequendum conspirent. In monarchia, perinde ac in caeteris Imperii formis, plurium consilium adhiberi potest, imo debet: verum si utile sit, ut plures deliberent, utilius etiam est, ut unus decernat et executioni praesit. Et revera inter varias, quae exstiterunt, civitates populares eas semper eminere vidimus, in quibus unitas illa Imperii optime servata fuerit: quin imo, quo magis monarchiam imitarentur, aut hujus saltem imaginem minus dissimilem exhiberent, saepissime in iis suprema quaedam auctoritas constituta est, vel ducis, vel praesidis, vel *regis* aliquando nomine (2). Armantur vero factiones, ubi potestatis

(1) *Unum* esse reipublicae corpus atque *unius* animo regendum, recte ait Asinius Gallus apud TACIT. *Ann.* I. 12.

Daer waer men welstand soeckt, behoort *één* hooft te wesen.
CATS. T. XV. p. 112.

(2) Nonne autem his applicari merito potest, quod habet CIC. *de leg.* III. 7? *nomen* tantum videbitur regis repudiatum, *res* manebit, si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit.

unitas non firma et constans fuerit. Gubernare enim sive regere praecipue est cohibere hominum affectus pravos, ut sic solum eos excitent affectus honesti nobilesque. Pravos autem istos affectus sola potestas, quae una est, refrenare valet: ea quippe animorum superbiam, semper indocilem, premit et superat, ita ut solo officiorum suorum et dignitatis suae sensu, qui vera est virtus, homines afficiantur (1).

Caeterum quantum faciat ea potestatis unitas ad salutem civitatis, vel ex eo manifestum est, quod ubicunque fere, quando res adeo essent desperatae, aut ab omni parte confusae, ut eventus exspectari vix amplius posset, semper in *unum* hominem omnem in civitate potestatem contulerint, atque *unius* arbitrio et curae dilapsam rempublicam erigendam commiserint. Hinc apud Romanos dictatoris institutum. Existimabant scilicet unius jussa gravius quoddam in se habere auctoritatis momentum, atque ob id ipsum civium obedientiam paratiorem esse et magis officiosam. Et (attende quaeso) ad hanc voluntatis unitatem reducebatur respublica, non solum postquam omnium summa rerum in unum dictatorem esset collata, sed eam quoque in ipso dictatoris creandi modo jamjam assectabantur: cum nempe consulibus jus esset datum illum eligendi, ut sic evitarentur dissensiones, queis obnoxia fuisset electio a populo facienda.

Porro illud quoque laudi monarchiae vertendum est, quod in ea, si semel corrupti ac depravati mores fuerint, non ut in civitatibus popularibus fere semper in pejus ruant, neque unquam corrigi sive emendari queant, sed princeps quasi novos, eosque meliores, sibi subditos creare possit. Egregie Ampliss. et Cons. A. R. FALCK: « *In alleenheerschingen zijn de menschen meer gewoon te gehoorzamen, meer vatbaar voor den indruk, dien een opperhoofd op hen maken wil. Een groot vorst kan zich nieuwe onderdanen scheppen, het volk verlaat allengskens zijne on-*

(1) Ceux qui obéissent *à un roi* sont moins tourmentés d'envie et de jalousie, que ceux qui vivent dans une aristocratie, testatur MONTESQ. *Grand. des Rom.* ch. 8.

»*deugden*, *en neemt zonder het te merken eenen nieuwen geest* »*aan*, *en die hoedanigheden*, *die men verlangt dat het bezitte.* (1) »

Tandem non parva est monarchiae commendatio, si respiciamus ordinem concinnum, diligentiam, concordiam in primis atque felicitatem, quibus omnia negotia publica expediuntur. Quamobrem unius Imperium multo magis vicinis metuendum est. Domi enim tranquillitas, atque vis illa unita, sicut intus otii ac securitatis fructus spargit, ita et foras formidinem magis incutit hostibus, quam ubi dissentientia optimatium studia vel multitudinis levitas omni Imperii vigori impedimenta obstruunt.

Haec igitur monarchiae potissima commoda: quibus si quae vitia opponi possunt, id simul observandum, omnes alias regiminis formas iisdem incommodis obnoxias esse, quibus monarchiam; verum hanc multa prae se ferre commoda, quibus caeterae carent. Tyrannis enim et potestatis abusus quibusvis Imperii modis communia sunt: unitatis vero et aequabilitatis emolumentum soli monarchiae proprium est. Et si minorennitates excipias, reliqua monarchiae, si quae sunt, pericula, potius principis vitia sunt, quam quidem formae Imperii. Sed neque haec continua sunt et meliorum interventu pensantur (2). Vitia enim principis una cum ipso moriuntur; ab unius tyrannide mors aliquando liberabit populum, et spes est eum, qui successurus est, meliorem fore. Qui vero minorennitatum incommoda memorant, ut inde colligant, caeteras Imperii formas monarchiae esse praeferendas, non logice argumentantur. Maximum enim vitium monarchiae est, quod commoda ejus non ita con-

(1) In opere *idé der ontwikkeling van 's menschen zedelijken aanleg, in de geschiedenis opgespoord*, quod exstat in *het magazijn voor de critische wijsbegeerte en de geschiedenis van dezelve*, uitgegeven door P. VAN HEMERT, IV d. 3e stuk p. 279.

Dicit quoque ROUSSAVIUS *Contr. Soc.* III. 6: »quand, par quelque heureux »hasard, un de ces hommes nés pour gouverner prend le timon des affaires »dans une *monarchie presque abîmée*, on est tout surpris des ressources qu'il »trouve, et cela fait époque.»

(2) TAC. *Hist.* IV. 74.

tinua esse possint, ut non interdum incommodis nonnullis, quibus aliae formae continuo laborant, aliquantum minuantur. Sed quae raro et temperatius contingunt, multo etiam minus periculosa sunt, quam quae perpetuo et gravissime semper minantur.

Quae cum ita sint, ex tribus Imperii generibus longe praestat, mea sententia, regium. Ut vero hanc nostram sententiam legitime tueri liceat, necesse erit despicere, quaenam sit vera monarchiae natura, id est, quid in ea requiratur, ut praerogativa, quam ei tribuimus, revera digna sit, nec in despotismum vel tyrannidem abeat. In quibus inquirendis simul apparebit monarchiae, etsi natura ejus nullo modo mutetur, diversas dari posse species, quarum una praestantior alia sit. Et sic tandem locus erit dicendi de monarchiae specie illa, quae hodie dicitur *monarchiae constitutionalis*, sive *repraesentativa*, sive *limitata*.

V.

DE NATURA SIVE LEGIBUS FUNDAMENTALIBUS MONARCHIAE.

Monarchia, secus atque aliae regiminis formae, certis legibus fundamentalibus nititur, quae ex ipsa rerum natura derivantur. — Hujusmodi leges fundamentales quatuor sunt: 1°. ut in ea Imperium revera sit unum; 2°. ut Imperium per modum successionis in certa quadam familia transmittatur; 3°. ut adsint administri sive procuratores Imperii; 4°. ut sint corpora interjecta, quibus potestas Monarchae temperetur et dirigatur. Quorum corporum tria sunt: nobilitas, tribunalia, et magnum totius gentis concilium. — Ut autem veritas et necessitas legum fundamentalium illarum certior appareat, ex historia monarchiae Francicae probatur eas revera semper fuisse observatas.

1. — Monarchiam sive regnum jam supra definivimus « *civitatem in qua unus Imperium tenet;* » cui tamen definitioni, ut abso-

luta sit, omnino addendum «*secundum leges fundamentales*» (1).

Ut igitur Imperii monarchici natura recte investigari a nobis possit, primum quidem videndum, quid sint leges fundamentales. Verum ut has rite quoque definiamus, ad ipsam civitatis notionem recurrendum videtur.

Quid autem est societas politica sive civitas? cujus quidem commodissima haec videtur definitio, quod sit multorum hominum societas ad conservationem communem conjunctorum. Estque igitur haec societas corpus morale quoddam, quod uno nomine distinguitur atque dignoscitur a personis privatis sive particularibus, ex quibus illa constat.

Personae autem illae, ex quibus civitas constat, variis modis inter se considerari possunt, qui modi *relationes* vocantur.

Relationes istae *necessariae* esse debent, i. e., ex ipsa rerum natura derivatae, aut potius, hominum in civitate viventium naturae congruentes.

Hujusmodi relationes necessariae dicuntur *leges*. Unde definitio MONTESQUIEVII: «leges sunt relationes, quae ex ipsa rerum »natura derivantur» (2).

Voluntas autem generalis civitatis, quae Imperio continetur, quaeque a singulorum sive privatis voluntatibus sedulo distinguenda est, per leges sive relationes necessarias declaratur.

Porro uti hominum in civitate degentium variae sunt inter se relationes, ita sequitur varias quoque esse leges. Praecipuus autem modus, quo considerari homo debeat ratione civitatis, hic est, quod sit vel *imperans* vel *subditus*. Hinc relationes necessariae, quae Imperantem inter et subditos intercedunt, leges sunt, quas *politicas* dicimus, sive leges quibus externa Imperii forma describitur. Caeteras vero relationes legesque ex iis derivatas non memorabimus, quippe quae ad argumentum nostrum, in quo nunc versamur, nihil omnino faciant.

(1) MONTESQUIEVIUS quoque monarchiam definit: «le gouvernement monar»chique est celui où un seul gouverne, *mais par des lois fondamentales.*» *Esprit des lois* II. 4.

(2) *Esprit des lois* I. 1.

Leges autem politicae in duas species distingui debent. Aliae nempe ita proxime et tam necessario ex relatione Imperantem inter et subditos derivantur, ut ubique eaedem sint, neque tolli aut minui possint, quin simul totum civitatis aedificium corruat aut saltem labefactetur. Hasque *fundamentales* appellamus, quia iis revera ut fundamento nititur civitas. Aliae vero ex eadem relatione Imperantis cum subditis derivantur quidem, sed tamen proprie et proxime non nisi amplificationes sive consecutiones legum fundamentalium sunt, vel formam respiciunt, qua ipsarum observantia tueatur; neque uti leges fundamentales ubique eaedem sunt, sed cum leges fundamentales, prout cultior evadit civitas, plures paucioresve amplificationes et consecutiones recipiant, et ipsa forma, qua observentur, pro diversa temporum rerumque conditione possit variari, hinc augeri vel minui vel mutari onmino possunt. Has autem *politicas* stricte sic dictas vocamus.

Ergo *leges fundamentales* sunt leges politicae, quae ex relatione *necessaria* sive naturali subditorum cum Imperante derivantur. Ut vero natura monarchiae excellentior deinde appareat, probe notandum, hujusmodi leges fundamentales in sola monarchia reperiri. Montesquievius quidem in civitatibus quoque popularibus varias recenset leges fundamentales; at non multum operis erit probare, eas omnes, quas indigno nomine fundamentales appellat, non esse *relationes necessarias*, quae ex ipsa rerum natura derivantur, sed nihil aliud nisi leges politicas, quae ex voluntatibus privatis et ex opinionibus oriuntur. Audiamus ipsum montesquievium.

1°. « In democratia *lex fundamentalis* est, ut definiatur numerus civium, ex quibus constare debent conciones publicae: » id enim si non fieret, contingere posset, ut ignoretur num po» pulus integer, an solum pars ejus voluntatem declaraverit. » Spartae ad hunc finem requirebantur decem millia civium; » Romae numerus non definitus erat; verum hoc ipsum una ex » causis illius ruinae fuit » (1).

(1) *Esprit des lois* II. 2. mihi pag. 77.

In his quidem illustrissimum auctorem sibi ipsum contradicere manifestum est. Numero enim civium definito, fieri non potest ut ignoretur, non integrum populum voluntatem declarare, sed solum partem ejus, cujus numerus definitus est. Haec igitur lex fundamentalis sine dubio non a natura hominum derivatur, nec adeo a societatis civilis natura. Cur enim alii potius quam alii imperantes erunt? quid amplius in cive requiritur, quo possit jura Imperii exercere, quam ut animi sui facultatum integrum usum possideat? Ac si respondetur civitatem a tot imperantibus regi non posse, merito regeram, civitatem popularem hominum naturae parum convenire.

Deinde vero si numerus ille civium, qui jura Imperii exercere possint, tam necessario definiri debet, ut, si non definiatur, cuivis civitati populari certa pernicies struatur, quo fundamento institui debet illa definitio? in monarchia quidem in ipsa natura rationem invenimus, ob quam Imperium uni familiae et ex ea natu maximo, exclusis feminis, committi oporteat; verum ad quamnam legem naturalem vel positivam respiciemus, ut statuamus an v. c. quarta, vel tertia, vel dimidia pars civium in concionibus admitti debeat? si nempe eruditorum opiniones sequamur, ex dubiis et incertis doctrinis, sententiam vix meliorem nobis ipsi comparabimus; si ab historia consilium capiamus, varia exempla sibi invicem saepe opposita varie nos afficient. Tandem etiam ubi numerus ille definitus erit, non tamen voluntates omnium civium Imperii voluntatem efficient. Nam cives illi, quibus Imperium exercere licebit, et quorum numerum definire tam molestum et simul tam necessarium erat, ut omnes consentiant non requiritur, quin imo vix consentire possunt. Ergo uti pro omnibus aliis aliquot tantum *potestatem* exercent, ita quoque pro omnibus aliis aliquot tantum *voluntatem* declarant: ita ut voluntas quae generalis dicitur, reapse composita sit ex privatis voluntatibus plerumque disjunctis et invicem contrariis. Sed pergamus.

2°. « Est quoque lex fundamentalis in civitate populari, ut

» populus dividatur in certas classes. Atque in ea divisione instituenda in primis eminuit magnorum legislatorum peritia, et in » ea omnis semper democratiae ejusque felicitatis stabilitas posita » fuit (1). »

En rursus aliam legem, quae, si minus perfecta fuerit, civitati populari eversionem minatur. Romae quidem SERVIUS TULLIUS populum in sex classes divisit; Athenienses vero SOLON in quatuor tantum. Alter id studuit, ut designaret eos qui deberent eligere, alter vero eos, qui eligi possent; alter ad rationem aristocraticam, alter vero ad democraticam classes distribuit: uterque tamen, omnium consensu, eximius legislator fuit, licet in divisione *in qua omnis democratiae salus semper et ubique posita fuit*, rationem plane oppositam secuti sint. Alii quoque legislatores alias potuissent divisiones adhibere, quarum singuli suis quique argumentis excellentiam sine dubio probassent. Sic Athenis etiam CLISTHENES loco quatuor decem tribus instituit, et DEMETRIUS POLIORCETES ibidem duodecim.

Apparet igitur in hac lege nihil esse *necessarium*, nihil quod si secus fuerit, rerum naturae adversabitur: ergo non est lex *fundamentalis*.

3°. « lex, quae modum definit suffragia ferendi, alia est lex » fundamentalis democratiae. Insignis quaestio est suffragia clam, » an palam ferri melius sit. Cicero docet leges Tabellarias, quibus cautum fuit, ut suffragia clam ferri deberent, inter praecipuas exstitisse causas, ob quas Respublica Romana perierit. » Verum cum illud in variis rebuspublicis variis modis peragi » soleat, de eo hoc quidem sentiendum esse *puto*....... caet (2). »

Profecto hominis et rerum humanarum perfectio in civitate populari videtur esse *conditio sine qua non*. Sane illam fundamentis parum solidis aedificatam esse, ita apparet. Hic enim iterum legem memorat auctor, quae si perfecta non fuerit, civitas mox ad interitum redigi poterit. Ipse MONTESQUIEVIUS fate-

(1) Ibid. paulo inferius p. 80.

(2) Ibid. p. 83.

tur nihil magis incertum esse quam fundamentum, quo superstrui lex illa debeat: id tamen non prohibet, quominus *fundamentalis* vocetur. Insignis quaestio est, num suffragia clam an palam ferri debeant: CICERO docet Rempublicam Romanam ob leges Tabellarias periisse (1); MONTESQUIEVIUS dubitat et dubia sua proponit; ROUSSAVIUS, qui audacior est, contra Ciceronem sententiam renunciat (2). Neque natura inter eos rem unquam decidet: de insigni enim ista quaestione nihil omnino ajit. Sed ob hoc ipsum naturae silentium lex fundamentalis non est, verum opinio quaedam, de qua in utramque partem multum disputare potest facundus orator. Nihil igitur in ea lege *necessarium* reperitur: ergo non *fundamentalis* est.

4°. tandem. « Alia praeterea lex fundamentalis democratiae » est, ut populus solus leges faciat. Permulti tamen casus inci» dunt, in quibus necessarium est, ut senatus statuere possit; » imo saepe utile est legem antea *tentare* (*essayer*), priusquam » sanciatur » (3).

At si lex illa fundamentalis exceptionibus obnoxia sit, ita ut, ea neglecta, populus leges facere aliquoties prohibeatur, sique adeo dubium sit, populum ad leges faciendas prudentiae satis habere, ut saepe utile sit tentare eas, quo facto tentamine constet, an leges quas tanquam imperans fecit, ipsi tanquam subdito convenire in posterum possint, in hac lege nihil quod *necessarium*, nihil quod *fundamentale* est invenio. Nam disputare licebit de casibus illis, quibus populum leges facere oporteat vel non oporteat, deque majore aut minore probabilitate leges, quas fecerit vel etiam *tentaverit*, ipsi fore idoneas. Quin imo si populus non omnes leges facere debeat, et si incertum sit illum leges, quae sibi conveniant, facere posse, quamvis lex fundamentalis populo legum ferendarum potestatem perpetuo competere jubeat, merito dixeris democratiam subverti posse per ipsam

(1) *De leg.* III. 15.
(2) *Contr. Soc.* IV. 4. in fin.
(3) *Esprit des lois* ibid. p. 84.

legum suarum fundamentalium observantiam, quemadmodum monarchia perit, ubi in ea eaedem leges non observantur.

Ex superioribus itaque probatum est leges illas in civitatibus popularibus perperam dictas fundamentales, nihil aliud esse nisi leges politicas, quae solis opinionibus et voluntatibus privatis nituntur, nihilque habent fundamentale, nihil necessarium, nihil quod ex natura hominis aut societatis derivari queat. Hinc autem neque firmae et immutabiles sunt, sed mutationibus obnoxiae, quemadmodum opiniones et voluntates privitae mutari semper solent (1).

2. — Verum redeamus unde paululum deflexímus. Vidimus scilicet, quid intelligi debeat per leges fundamentales, ac in transitu quoque demonstravimus, hujusmodi leges in sola monarchia adesse. Jam igitur, ut hujus naturam recte perspicere nobis liceat proximum est ut inquiramus, quot et quaenam sint leges illae fundamentales, secundum quas Imperium penes Monarcham est. Hanc autem inquisitionem de legibus fundamentalibus monarchiae naturalibus (a quibus sedulo distinguendae sunt leges fundamentales scriptae sive positivae, quae hodie dicuntur, et quae ad essentiam monarchiae minime pertinent), ita plerumque instituemus, ut eas primum ex rerum natura derivemus, et deinde in singulis historiam sequentes, eas semper in monarchia revera adfuisse probemus. Apud omnes sc. Germanicae originis gentes fere similes invenimus institutiones, quarum initium sine dubio apud ipsos Germanos quaerendum est. Inter monarchias autem, quae a Germanis conditae sunt, ad rem nostram Franciam elegimus, licet certe facilius fuisset v. c. Angliae aliusve monarchiae historia uti. Sed id fecimus,

(1) Eratque iste legum fundamentalium defectus, cui supplere aliquando conati sunt, qui in constituendis hujusmodi civitatibus popularibus praemittebant *declarationes jurium et officiorum*, quibus revera bellum declarabant hominum adversus naturam, et quibus bonis civibus adimerent facultatem jurium, quae vere iis propria erant; malis vero frenum excuterent officiorum, quibus necessario cohibebantur.

quia vulgo Francica monarchia tam quam *illimitatissima* proponitur: quare veritatem et necessitatem legum fundamentalium non melius probari posse credidimus, quam si ostenderetur, eas per omnia ipsius Francicae monarchiae tempora fuisse observatas, iisque monarchiam revera superstructam fuisse.

I°. Ac prima quidem lex fundamentalis monarchiae est, *ut in ea revera potestas sit una.* De hac vero cum in §§ praec. jam multa locuti simus, hic plura dicere nil attinet.

II°. Deinde autem aliam legem fundamentalem monarchiae in eo sitam reperio, *ut Imperium hereditarie sive per modum successionis in certa quadam familia transmittatur.* Nolimus vero hic agitatissimam quaestionem tractare de electivis et *hereditariis regnis;* observasse sufficiat a nemine amplius dubitari hodie, solas monarchias hereditarias diu stare posse, electivas vero ad motus internos et exterorum odia incurrenda quam maxime esse dispositas. Electiones enim interregna comitentur necesse est, in quibus civitas sine Imperante est velut navis sine gubernatore, velut exercitus sine duce. Consurgunt factiones et dum leges in neglectu jacent, bellis intestinis dissipatur atque enervatur penitus et exstinguitur civitas (1). Caeterum ipsae quoque electiones turbarum causam facillime afferunt, et artibus saepe ac fraudibus via ad regnum paratur, ita ut vix unum exemplum liberae electionis inveniatur, cui aliqua ars aut machinatio admixta non fuerit. Tandem incepta magna, sed quae paulatim perfici debent, aut consilia, quibus non nisi lapsu temporis effectus addere licet, in regnis electivis vix locum accipere queunt, cum in iis de rege ad regem negotiorum filum interciditur. Nihil ergo magis tumultuosum et infirmum, quam regna electiva: atque hinc est, quod ejusmodi civitates haud raro in peregrinam dominationem transire vidimus (2). Cujus quidem rei luculentissi-

(1) Quod de Polonia testatur Roussavius: «La Pologne tombait en dissolution ou en paralysie cinq ou six fois par siècle.» *Consid. sur le gouv. de Pologne* ch. 1.

(2) Idcirco Roussavius cum de artibus et corruptionibus loquitur electivum

mum exemplum praebuit Polonia. Haec enim cum regem, qui non moriebatur, non haberet, revera neque monarchia, neque democratia erat; ac cum nihil esset, a vicinis gentibus in partes concisa rapta est, quasi terra quaedam a domino derelicta, quae primo occupanti cederet. Utinam gentes illae non tam ambitionis suae, quam aequitatis rationem secutae fuissent, atque in unum convenissent, non ut Poloniam inter se dividerent, sed ut ipsi, etiam si opus fuisset invitae, familiam quandam regiam darent. Tunc enim sine dubio antiquum illud et pulcherrimum regnum staret adhuc et floreret etiam!

Verum ne diutius exemplis immoremur, rationem indagemus ob quam Imperium hereditarie transmitti necessario debeat. Nimirum omne Imperium perpetuum esse requiritur: mortuo enim aut interrupto quocumque modo Imperio, ipsa civitas pereat necesse est, cum sine Imperio ne unum quidem diem servari possit. Deficiente enim Imperio generali totius civitatis voluntati deesset potestas, qua ad exitum duci posset, et communibus viribus eadem deesset potestas, qua regi possent ad communem defensionem. Itaque ubi Imperium perpetuum esse desinit, nec ipsa civitas manere civitas potest. Perpetuum autem nequit esse Imperium, nisi hereditarie transmittatur.

Ut vero melius adhuc appareat hanc monarchiae legem revera esse *fundamentalem*, notandum est, illam ex ipsa societatis politicae natura proxime derivari. Scilicet in civitate, in qua semper respicitur ad familias, nunquam ad personas singulares, et quae per familias servatur, generalis etiam civitatis voluntas sive natura Imperium familiae, non vero personae singulari committere necessario debuit. Et hoc modo natura ipsa sibi curam servavit *viros magnos* creandi, quoties hi ad servandam civitatem necessarii essent; civitati vero curam reliquit, ut sibi *bonos reges* formaret. Nempe civitati ubi semel constituta est,

regnum solet usurpari, non sine jure dicit: «*il est difficile que celui, à qui* »*l'état s'est vendu, ne le vende pas à son tour*». *Contr. Soc.* III. 6.

non nisi raro viris magnis opus est (1); bonos vero reges, aeque ac in caeteris professionibus viros utiles, per liberalem educationis modum sibi ipsa obtinere optime potest.

3. — III°. Alia lex fundamentalis monarchiae est, *ut sint administri sive procuratores Imperii, qui jussa Monarchae ad subditos deferant.*

Cum enim *Monarcha* simul etiam *homo* sit, cumque homo et Monarcha una eademque persona contineantur nec ab invicem separari queant, inde fieri nonnunquam potest, ut privata voluntas, quae hominis est, substituatur voluntati generali civitatis, cujus exercitium Monarcha est. Ac quia quaevis voluntas per potestatem aliquam, et quaevis potestas per vim aliquam exerceri debet, inde velle potest homo ille privatam suam voluntatem per privatam potestatem suam, et privatam potestatem suam per vim publicam exercere: id quod tyrannidem parit.

Ergo personae Monarchae committi non debet, ut voluntatem privatam, quae hominis est, a voluntate generali, quae Monarchae est, ipsa distinguat: nam si distinguere eas deberet, etiam confundere eas posset.

Necesse igitur est, ut hae distinguantur ab aliis, i. e. a certis quibusdam *administris*, quibus delegetur functio exsequendi jussa generalis voluntatis, et quorum officium sit hanc semper a privata hominis voluntate distinguere.

Deinde vero, quia administri illi certo officio funguntur, necesse est ut puniantur, quoties hoc non observant; et quoniam officium illud in eo consistit, ut generalem civitatis voluntatem distinguant a privita hominis voluntate, utque sola generalis voluntatis jussa exsequantur, hinc de iis judicium ferri debet a collegio, ad quod pertinet custodia legum, per quas ipsa

(1) Multi solent queri de inopia magnorum virorum: nascuntur tamen ubi et quando *necessarii* sunt. Quoties enim ex societatis politicae natura tempora gravia accidunt, ipsa quoque rerum natura viros magnos exsurgere facit. Vir magnus vero, qui intempestive venit, revera calamitas est: dum enim res magnas producere cupit, non nisi magna mala parit. Sic Marius, Sylla, Caesar praemature nati sunt, Augustus vero peropportune.

generalis civitatis voluntas declaratur. De hoc collegio autem mox infra dicemus.

4. — IV°. Quarta lex fundamentalis monarchiae est, *ut adsint corpora quaedam interjecta, quibus potestas monarchica temperetur et velut dirigatur.* « Les pouvoirs intermédiaires, » subordonnés et dépendants, constituent la nature du gouver» nement monarchique » (1). Inter corpora autem illa primo loco occurrit *Nobilitas.* Montesquievius ait: « point de monar» que, point de noblesse; point de noblesse, point de monar» que: mais on a un despote » (2). Videamus an vera dixerit.

Ut vero judicare possimus, quid Nobilitas in monarchia proprie sit et esse debeat, inquirendum omnino, quibus initiis orta sit et quo modo ad hodiernam devenerit conditionem. Praemissa enim historica ejusmodi Nobilitatis recognitione, natura ejus et indoles facilius deinde indagari a nobis poterit. Sed nec aegre feratur, illud copiosius paulo exponi: est namque argumentum dignissimum, quod diligentiore quadam cura tractetur; siquidem permulti de Nobilitate odiose cogitant, propterea quod nesciant aut inquirere nolint, quid poprie sit Nobilitas.

Scilicet inter modos, quibus interire potest civitas, Imperantium libido sive *oppressio* est. Oppressio autem universim quidem recte definiri videtur pravae voluntatis actus, qui per vim aliquam superiorem exercetur; sed magis apposite et ratione Monarchae penes quem Imperium sive potestas generalis civitatis est, depravatae unius voluntatis effectus, qui per vires omnium exercetur. Cum vero societatis civilis finis sit, ut servet et tueatur cives eorumque bona, hinc locum habet oppressio, quoties civibus eorumve bonis debita tutela non praestatur. Ut autem cives eorumque bona adversus pericula, tam a natura quam a malitia hominum imminentia, defendi possint, requiritur, ut pars civium per *militiam*, et pars bonorum per *tributa* ad hanc defensionem adhibeatur. Ubi vero pars illa ci-

(1) *Esprit des lois* II. 4.
(2) Ibid.

vium vel bonorum quae ad caeteras partes omnes defendendas adhibetur, vel nimia vel non sufficiens sit, utique opprimitur civitas aut saevitia et cupiditate, aut incuria et socordia. Utque igitur opprimendi occasio tollatur, necesse est ut pars civium et pars bonorum, quae ad defensionem adhiberi debet, accurate definiatur: ubi enim cives eorumque bona modo omnibus utilissimo firmiter disponantur, Monarcha, si quando perniciem civitatis cogitet, iis ad oppressionem uti non valebit.

Apud antiquos autem populos in primis apud Aegyptios, uti ex Hebraeorum historia patet, quo impensis publicis subsisteretur, magis hominibus quam bonis tributa imponebantur, et ad facienda opera publica adhiberi solebant servi. Eaque agendi ratio hoc quidem prae se ferebat commodum, ut nec bona civium tributis onerarentur, nec ipsi operum publicorum causa praestationibus personalibus vexarentur; sed dum dominiis sive hominibus parceret, ipsi humanitati quam maxime adversabatur.

Quemadmodum vero ita, licet perverso modo, prohibebatur, ne nimiis tributis dominia civium minuerentur, sic quoque cautum erat, ne prae militia caetera negotia civilia sive *professiones* negligerentur. Lex quippe, uti singulis familiis certam quandam professionem abscribebat, cujus exercitium a patribus ad filios abibat, sic certas quasdam familias designabat, quibus unice licitum erat militiam exercere; atque hinc habebantur familiae militares, sicuti erant familiae sacerdotales, atque ipsa familia regia. Rationem autem hujus legis ex ipsa societatis natura derivatam esse patet. Nimirum una cum societate hominibus natae fuerant necessitates multae sive indigentiae, quae sponte etiam multas et varias professiones induxerant. Ipsa enim communis omnium utilitas jubebat, ut qui in societate viverent diversa exercerent munera, utque singuli aliquod munus exercerent. Hinc naturae convenienter in antiquis illis civitatibus nihil praestare civitati non licebat cuipiam: ideoque lex unicuique munus sive professionem quandam assignabat, in quam filii patribus succederent.

Deinde vero ex ipsa quoque rerum natura postea admissum est, ut variae civium professiones ratione utilitatis, qua sese commendabant ad consilium civitatis assequendum, inter se certis juribus graduque existimationis *distinguerentur*. Hinc igitur, cum militandi professio inter caeteras utilitate emineret, haec a caeteris distinguebatur, et certas *distinctiones* sive certos honores adepta est; et cum professio ipsa hereditaria esset, distinctiones quoque illae hereditariae fuerunt.

Ex ea autem professionis militaris hereditaria distinctione, origo et natura Nobilitatis repetenda videtur. Auctis enim paulatim civitatibus, quum aggressiones quoque a vicinis metuendae fierent frequentiores, mox apparuit, suprememoratas familias, a quibus militia hereditarie exercebatur, ad defendendam civitatem adversus exteros parum sufficere; indeque necessitate quadam constitui coepit, ut omnes quotquot essent cives (saltem qui ad arma gerenda essent habiles), ad militiae laborem vocarentur.

Omnis autem militia, quae proprie est vis publica civitatis, in duas veluti species distingui oportet, nempe in *defensivam* et *offensivam*. Defensiva militia ad internam civitatis conservationem spectat, eaque perpetua esse debet et *inamovibilis*, quia in omni civitate requiritur, ut perpetuo internae defensioni suppeditetur. Offensiva vero militia ad defensionem civitatis ab injuriis extrinsecus allatis pertinet, neque est perpetua, neque inamovibilis, sed, re postulante, convocatur et iterum, perfecto negotio, dimittitur, cum et ipsa pericula, quae extrinsecus imminere possunt, non continuo, sed incertis tantum et saepe improvisis temporibus inferantur.

Estque praeterea inter militiam sive potius vim publicam civitatis *offensivam* et *defensivam* alia quoque differentia, quae maxime est notanda. Nempe militia offensiva semper impetu et armorum vi adversus exteros civitatem defendat necesse est. Sed quemadmodum civitati duplici modo interna pernicies imminere potest, aut ab Imperantis libidinibus sive oppressione, aut a subditorum licentia sive rebellione, ita duplici quoque ratione defensiva militia internam civitatis conservationem tuetur. Qui enim

vim illam publicam defensivam exercent, cum perpetui et inamovibiles sint nec adeo a privatis voluntatibus sive affectibus subditorum pendeant, hos, si quando ad rebellionem spectent, tam *actione sua*, etiam si opus est armis, quam *exemplo* coercent. Ab altera vero parte, cum non magis privatae voluntati seu pravis affectibus Monarchae obnoxii sint, adversus hujus oppressionem *sola sua exsistentia* civitatem defendunt. Id quod infra clarius apparebit.

Jam autem antea officium familiarum, quibus, exclusis caeteris civibus, militandi professio lege adsignata erat, tam internam quam externam civitatis defensionem complectebatur, sive aliis verbis, familiae militares tam defensivam quam offensivam militiam efficiebant. Abrogata vero lege ista, cum omnes cives pariter quidem ad militiam exercendam obligarentur, non vero semper et continuo congregari possent, ne prae militia caetera negotia civilia negligerentur, hoc ipso civitati deerat militia defensiva illa, quae tamen ad conservationem ejus internam perpetuo adesse debet. Huic igitur malo remedium quaesitum, et quidem sequenti modo.

Nimirum licet nunc ad obeundam militiam omnes cives admitterentur, quin etiam obligarentur, atque adeo militia universe non amplius haberetur professio *distincta*, tamen, uti naturale erat, inter illos nonnulli bellica virtute prae caeteris quandoque enitebant. Hi vero certis privilegiis et honoribus merito ornabantur, atque, uti recte reliquis dignatione eminebant (*habet* enim *venerationem justam*, *quidquid excellit* (1)), ita largius judicabatur aestimari virtus, cujus praemia ad istos quoque derivarent, quos natura quilibet quam carissimos habet: praesertim cum ea res speraretur civium animos exstimulatura, acrius affectandis ejusmodi praemiis; simul vero proles ista, domesticis exemplis excitata, parentum virtutem aemulatura crederetur, splendoremque illum iisdem, quibus partus erat, artibus tuitura (2). Adeo ut praeclare ejusmodi meritorum ci-

(1) Cic. *De nat. Deor.* I. 17.

(2) Cum sit hoc generi humano proprie a natura datum, ut quae in familia

vium *nobilitas* (nam ita uno nomine dicuntur privilegiorum honorumque insignia, quibus a reliquis civibus distinguebantur) nihil aliud fuerit quam *cognita virtus* (1).

Caeterum, uti Nobiles propter militarem praestantiam hereditariis honoribus afficiebantur, ita quoque ad militiam exercendam manebant adstricti: tribuebatur enim iis nobilitas ob praeclaram virtutem; ut itaque ea virtute se non degenerare ostenderent nec privilegiis suis gratis uterentur, ad conservationem reipublicae continuo vigilare jure obligabantur.

Hoc igitur modo ex ipsa nobilitatis natura, quae hereditaria erat, et quam militandi officium necessario et continuo comitabatur, corpus omnium Nobilium militiam quandam perpetuam efficiebant, quam *defensivam* appellavimus, sive quae ad defensionem civitatis internam spectabat, et quae omnino diversa erat a militia offensiva, quae a caeteris civibus omnibus, quando res postulabat, exercebatur. Cave tamen ne putes, nos id velle significare, aut Nobiles nunquam ad militiam offensivam fuisse obligatos, aut ex reliquis civibus ad certum numerum et modum copias non fuisse comparatas, quae militiae laborem constanter obirent, vel ut, bello exorto, non convocandis militibus tempus tereretur, sed statim ad defensionem adversus exteros parata esset civitas, vel etiam ut ad pacem internam servandam adhiberentur. Utrumque enim fieri poterat et solebat: verum nihil inde contra sententiam nostram eruere licet. Quamvis enim praeter Nobiles certus quidam numerus civium constanter in armis esset, non ab illo tamen proprie vis publica civitatis defensiva exerceri poterat. Supra enim notavimus hanc debere esse perpetuam, i. e., quae, ut adsit, a nemine pendeat, sed solum *per se* semper et perpetuo existat. Jam vero copiae, quae ex reliquis civibus comparabantur, non perpetuo per se aderant, sed ex convocatione, quae secundum legem aliquam continuo quidem

laus antiqua floruerit, hanc fere qui sunt ejus stirpis cupidissime persequantur, ut ait CIC. *pro Rab. Post.* c. 1.

(1) Quasi *noscibilitas*, a verbo noscere.

fiebat, sed quae tamen, si quando fuisset neglecta, statim milites abesse effecisset. Perpetuitas igitur illa, quae ad vim publicam civitatis defensivam requiritur, non haberi potest nisi in corpore hereditario; atqui Nobiles ad militiam hereditarie erant obligati, non vero caeteri cives: ergo a solis Nobilibus vis publica defensiva civitatis exerceri poterat. Et sic etiam pristinam legem, qua militandi professio a caeteris negotiis civilibus *distinguebatur*, aliquatenus servatam fuisse patet: cum nempe nobilitas revera non esset *distinctio*, nisi quod Nobiles militiam semper profiteri cogerentur, utque ea ratione a reliquis civibus distinguerentur, quibus eadem obligatio non perpetuo, sed ad tempus tantum et quoties convocarentur, incumbebat.

Talem autem omnino fuisse Nobilitatem apud antiquos Germanos et Francos historia docet. Possidebant enim Nobiles praedia sua, feudorum nomine, a multis oneribus immunia, ea conditione, ut militarem operam reipublicae praestarent. Inde quoque Nobilibus mercaturam exercere insolitum erat, non quod haec in se haberet quid inhonestum aut sordidum, sed ne per eam a studiis militaribus abstraherentur, et feuda sua atque privilegia gratis haberent. Quin imo obligatio ista militandi tam arcte cum nobilitate erat conjuncta, ut insignia sive sigillatum primum sibi adsciscerent viri nobiles, *quum suae aetatis essent*, hoc est, quum annum aetatis eum attigissent, quo militare cingulum consequi et hoc adepti milites fieri solebant (1). Hinc quoque in civitatibus, quas Germanici populi constituerant, nec Romani, nec originarii regionum illarum incolae veram Nobilitatem habuerunt, idque solum ideo, quod a militandi professione excluderentur (2).

Caeterum Nobiles ad defensionem inprimis internam civitatis pertinuisse ex eo quidem primo conspicitur, quod iis suos quoque vasallos sive *homines* habere liceret, quemadmodum fere apud Romanos patricii suos clientes habebant. Ea sane ratione eos

(1) Ut narrat DUFRESNE in Glossar.

(2) Uti observat MEYER, *Instit. Judic.* I, 7, p. 109.

multum apud populum valuisse, et adversus hunc, si quid malum reipublicae moliretur, suam auctoritatem efficaciter saepe opposuisse, non est quod probemus.

Deinde vero officium feudale non tam externam, quam internam civitatis defensionem spectasse, ex eo adhuc confirmari potest, quod vasallus domino *guerram* facienti, si haec justa esset, ad eum adjuvandum teneretur; sed si palam esset, quod injuste eam faceret, ad defendendum ipsum, non vero ad offendendum alium obligaretur (1). Scilicet, uti jam supra observavimus, Nobiles etiam tanquam cives, perinde ac caeteri cives omnes, ad defendendam civitatem adversus exteros erant obligati; verum si principem, qui injustum ac irrationabile bellum gerere vellet, suo auxilio denegando, ut a bello gerendo desisteret, cogere possent, nonne ex eo apparet, Nobiles potius ac magis proprie ad defensionem civitatis internam pertinuisse?

Tandem Nobiles revera militiam quandam defensivam effecisse, non obscure etiam colligitur ex testimonio TACITI, qui de *comitibus* agens, sive de nobilibus adolescentibus, qui se principi tanquam satellites ultro addicebant, quem stipabant et comitabantur ubique, sic ait: «Et haec erat praecipua principum »dignitas, hae vires, ut magno semper ejusmodi electorum ju»venum globo circumdarentur.» Et quo melius significet eos ad conservationem civitatis praesertim internam, sed hoc ipso etiam aliquam externam plurimum conferre, addit: «*nec solum in sua »gente*, sed apud finitimas quoque civitates, id nomen, ea gloria »erat, si numero ac virtute comitatus emineret, et *sola hujus »saepe fama bella profligabant* (2).

Hucusque autem non nisi ob bellicam virtutem nobilitatem conferri, et cum ipsa nobilitate militarem operam praestandi obligationem perpetuo conjunctam fuisse vidimus. Equidem primis temporibus, quum ob impacatum adhuc populorum ingenium civitates velut undique bellorum fluctibus circumdarentur, ita

(1) Ita decidit feudista *Feud.* II. 28.
(2) *De morib. German.* c. 13.

ut in comitiis armati considerent, et unaquaeque gens quasi magnus exercitus videretur (1), hinc, ob ipsum illum bellicum ardorem, civitatem internis quoque motibus saepissime turbari nihil mirum erat. Id vero simul causa fuit, ob quam Nobiles, quibus civitatem ab internis periculis defendendi officium incumbit, etiam revera *milites*, id est, *in armis* essent. Quum enim vi et armis saepe in rempublicam conjuraretur, hanc quoque non nisi vi et armis tueri poterant.

Exculta vero magis societate civili, alia praeter illam militarem Nobilitatis species nata est, sc. *senatoria* sive togata Nobilitas. Quo longius enim et firmius constituta est quaelibet civitas, eo plus facit justitia, eo minus facit vis, vel potius, vis ipsa nihil nisi per justitiam agit. Hinc autem orta Nobilitas *gladii* et Nobilitas *togae* (*la noblesse de la robe et de l'épée*). Verum etiam haec togata Nobilitas nihil aliud est quam professio quaedam civilis *distincta*, quae ad defensionem civitatis spectat. Non enim in se minoris sunt, quae togati ad defendendam et conservandam rempublicam conferunt, quam sagati. Leges quippe justas et utiles condere, jus integre dicere, eloquentia tumentes populi animos mulcere et in quam partem expediat flectere, praestantissima utique sunt et ad pacem internam utilissima. Neque obstat quod haec non semper, apud imperitos in primis, sat ample aestimentur, tum quod artes, ex quibus talia producuntur, non adeo in oculos incurrant, et a multis parum intelligi possint, tum quod cum tranquillitate quadam et citra impetum atque periculum sese videantur explicare. Nam si inter Nobilitatem militarem et senatoriam, quando adversus exteros defendenda est civitas, discrimen illud vel maxime obtinet, tolli tamen videtur, ubi civitas internis motibus agitata professiones eas ad auxilium vocat, quibus vera vis publica eaque defensiva continetur: tunc enim omnis Nobilitas *una* est, quippe cujus semper in utroque genere officium *conservare* est.

(1) Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. — Tacit. ibid.

Caeteras quas forte Nobilitas subiit mutationes silentio praetermittimus et statim ad hodierna tempora accedimus. Nempe hodie nobilitas indistincte tam ob bellicam, quam ob togatam virtutem a Summo Imperio confertur. Utraque autem Nobilitas, senatoria et militaris, unum corpus efficiunt, et in plerisque civitatibus quasi confunduntur in certo quodam collegio a collegio populi juribus et honoribus plane diverso.

Porro non amplius Nobiles directe ad militarem operam obligantur, quia, abrogato jure feudali, non amplius praedia possident, ob quorum possessionem ejusmodi onus iis possit imponi; nec praeterea etiam hodierna societatum politicarum conditio sinit, ut earum vis publica defensiva armorum vi utatur. Verum licet Nobilitas plerumque non amplius corpus quoddam armatum efficiat, non desinit tamen esse militia, i. e. vis publica defensiva, cujus munus est defendere ac conservare civitatem a periculis internis. Internae vero civitatis ruinae duplicem causam esse vidimus, vel oppressionem, quae a Monarcha in subditos exercetur, vel rebellionem ipsorum subditorum adversus Monarcham. Nobilitas utrique periculo occurrit: nam,

1°. subditos ab oppressione tuetur *hoc ipso quod adsit.* Nobilitate enim, quae est corpus interjectum, potestas Monarchae revera limitatur. Eam tollere non valet, quippe quae per se perpetuo adest, et quae perinde ac ipse Monarcha firmo et inviolabili vinculo cum toto corpore civitatis cohaeret. Legisse memini in opere quodam, quod de rerum conversione Francica conscriptum est: *Vous voulez détruire la Noblesse, disait un »des coryphées de la révolution française; vous n'y songez pas: »on ne détruit pas la Noblesse, qui est un être moral, ce sont »les Nobles qu'il faut détruire»* (1). Fertur ADELBERTUS, comes Vesunae (*Perigueux*), cum HUGO CAPETIUS, Francorum Rex, ad eum misisset, ne longius obsideret Turones (*Tours*), eumque per modum incusationis rogasset, quis eum comitem fecerat,

(1) *Dernier tableau de Paris ou Récit historique de la révolution du 10 Août* 1792, par J. PELTIER.

Regi respondisse: « *non tu, sed qui te regem fecerunt* (1). » Quod quidem ab eo, tanquam vasallo et subdito, insolenter et injuriose, sed tanquam nobili sensu quodam vere et recte responsum fuit. In monarchiis enim simul ac Reges fuerunt, etiam Nobiles fuerunt. Inde quoque despotae, quoties civitatem aliquam vicissent, hancque sibi retinere vellent, primum semper solliciti fuerunt, ut Nobilitatem omni sua auctoritate privarent, sive quod idem est, eam hereditariam esse non sinerent. Et hoc despotismo ubique proprium, quod in eo non inveniatur Nobilitas aliqua hereditaria. Quare de ejus necessitate, hoc rerum intuitu, a nemine ambigitur, et ipse ROUSSAVIUS affirmat, ubicunque adsit Monarcha hereditarius, ibi necessario requiri Nobilitatem hereditariam (2).

2°. Nobilitas Imperium adversus subditorum rebellionem defendit *interpositione* sive *interventione* sua, i. e., dum obsequii erga Imperantem reliquis subditis exemplum praebet, qui facilius obediunt, ubi obedientes vident eos, quibus honorem habere assueverunt; dumque inter varias civium classes sensum quendam amoris et fidei erga Imperantem spargit. Et usque adeo verum est Nobilitatem exemplo, quod imitandum praebet, subditorum prohibere seditionem, ut, si aliquando per invidiam temporum exemplum ejus nullos effectus haberet, omnisque fidei et venerationis sensus erga Imperium esset extinctus, nunquam fere illa satis virium habuerit ad compescendos tumultus, et in plerisque seditionibus, de quibus ex novarum monarchiarum historia constat, Nobilitas ob ipsam officii sui observantiam perierit.

Exposuimus itaque in Nobilitate vim defensivam sive conservatricem societatis positam esse, quippe quae Imperium adversus subditos tuetur, huic vero, ubi ad abusum et oppressionem tendat, opponit sese, et, quominus pergat, sua auctoritate

(1) Vid. MÉZERAY, *histoire de France*, T. 2. liv. 1. roi XXXVI. (edit in fol. 1685).

(2) *Cons. sur le gouv. de Pologne* ch. 8.

prohibet. Neque illud laudis praeconium est, qua Nobilitatem decorare velimus, aut meriti cujusdam commendatio, quod ei sine nomine tribuamus, sed naturalis ejus conditio et velut destinatio, quae a privatis etiam Nobilium affectionibus mutari nequit. Audiamus MONTESQUIEVIUM: « On a vu la maison d'Autriche » travailler sans relâche á opprimer la Noblesse hongroise: elle » ignorait de quel prix elle lui serait un jour. Lorsque tant de » princes partageaient entr'eux ses états, toutes les pièces de sa » monarchie, immobiles et sans action, tombaient, pour ainsi » dire, les unes sur les autres. *Il n'y avait de vie que dans » cette Noblesse*, qui s'indigna, oublia tout pour combattre, et » crut qu'il etait de sa gloire de *périr* et de *pardonner*. La No» blesse anglaise *s'ensevelit*, avec Charles premier, sous les dé» bris du trône, et avant cela, lorsque Philippe second fit en» tendre aux oreilles des Français le mot de liberté, *la couronne » fut toujours soutenue par la Noblesse.* (1). »

Tandem etsi Nobilitas, uti in superioribus vidimus, proprie ad civtatis defensionem internam pertineat, minime tamen inde judicandum est, eam ad defendendam civitatem adversus exteros nihil omnino agere. Etenim, praeterquam quod se militiae offensivae adjungere soleat (2), hoc ipso quod cives ad fidem et venerationem erga Imperium disponat, ad tuendam civitatem ab hostium occupationibus multum quoque confert. Quantum vero hac etiam ratione ad conservationem civitatis faciat, probare liceat ex testimonio NAPOLEONTIS, quod ex auctore describam, cujus auctoritatem ab ipsis Nobilitatis detrectatoribus non recusari confido. » Dans la campagne de France (sic narrat notissi» mus FOY (3)), aux premiers mois de 1814, NAPOLÉON parlait » à Troyes en Champagne avec un de ses généraux de l'état des » choses: les ennemis, disait celui-ci, sont trop nombreux, nous

(1) *Esprit des lois* VIII. 9.

(2) Il n'y a rien que l'honneur prescrive plus à la noblesse que de servir le prince à la guerre. — Ibid. IV. 2.

(3) In opere *Histoire de la guerre de la péninsule*. T. I. p. 169.

»ne pouvons en venir à bout avec nos soldats, qui tombent »chaque jour et qu'on ne remplace pas. Il faut que la France »se lève....... Eh! comment voulez-vous que la France se lève, »interrompit avec vivacité NAPOLÉON; *il n'y a pas de Noblesse, »et j'ai tué la liberté*».

5. — II. Inter corpora autem interjecta, per quae Imperium in monarchia necessario decurrere debet, secundum locum tenent *tribunalia, à quibus justitia administratur, sive ad quae legum interpretatio et applicatio pertinet.* MONTESQUIEVIUS docet; «dans »un gouvernement monarchique il faut des tribunaux» (1); et alio loco: «dans une monarchie le prince ne peut juger lui- »même» (2). Atque ubi *industriam* miratur, qua Russorum Imperantes *despotismum, quo ipsi magis quam populi premuntur, tollere conantur*, inter media, quibus utuntur, constitutionem tribunalium memorat (3).

Etsi enim omnis jurisdictio a Summo Imperante tanquam à fonte proficiscatur, ipsa tamen persona Monarchae leges inter cives applicare non potest, propterea quod privata ejus voluntas leges, quibus civitatis voluntas generalis exprimitur, convellere et violare posset. Ut itaque omne periculum arceatur, jus illud justitiam faciendi exerceri debet à *corpore* quodam sive collegio, quod prae numero nec beneficiis corrumpi nec minis cogi possit. Hinc tribunalium institutio.

Porro corporis illius membra seu judices, quo leges integré servare valeant, privatis affectibus sive Monarchae sive subditorum nullo modo obnoxios esse oportet, cum ob ipsam naturae indolem homines ad eludendas et dissipandas leges ubique propensi sint. Quam ob causam necessario requiritur, ut illi judices officio sive magistratu suo privari nequeant, i. e., ut sint *inamovibiles.*

Verum redeamus ad antiquos Germanos, ut videamus, quibus

(1) *Esprit de lois* VI. 1. init.
(2) Ibid. VI. 5.
(3) Ibid. V. 14.

modis haec iterum lex fundamentalis constitutionis monarchicae paulatim perfecta et tandem ad maturitatem perducta sit.

Initio quidem, cum nondum valde magnae essent civitates, Rex ipse, quemadmodum in caeteris negotiis publicis, de quibusvis delictis and conciones sive comitia, quae tunc *placita* dicebantur, ferebat (1). Concionibus autem illis Rex praeerat, qui et deliberationes moderabatur, et causam, de qua populi suffragia essent roganda, ordinabat, *bannum*que sive sententiam sanciebat, ac promulgatam exequebatur.

In causis vero civilibus eodem modo jus dicebatur. Neque mirum: non enim, uti hodie, earum decisio privatorum commodum potissimum respicere videbatur, sed directe etiam ad bonum publicum pertinebat. Nimirum ubi inter vicinos de re quadam lis orta esset, alter rem vi auferre, alter possessionem vi quoque tueri conabatur. Itaque nisi civitas ad coercenda ejusmodi proelia intervenisset, quaelibet lis de dominio aut alio quocunque jure tranquillitati publicae, non minus quam atrocissimum crimen, periculum fecissit. Accedit quod, deficientibus adhuc legibus scriptis, non nisi tota civitas de singulis causis judicare poterat, quippe quae sola antiquarum consuetudinum, secundum quas sententia ferenda esset, memoriam servabat.

Hucusque igitur justitiam in magnis populi concionibus sive placitis administrari vidimus. Mox tamen, amplificatis ad aliquem modum civitatibus, quum homines remotius circumspergerentur, atque hinc locus comitiorum longius ab eorum domicilio abesset, simul vero molestiae sumtusque ad iter faciendum augerentur, conciones illae minus frequenter haberi coeperunt. Dehinc non amplius omnes lites, quarum numerus, auctis hominibus, perinde increbuerat, ad populi comitia ferri potuerunt. Quamobrem nova juris reddendi forma institui necessario debuit, qua nempe causae criminales et civiles assiduo, prout obvenirent, pertractari possent. Tunc constituti sunt magistratus, quorum munus et militares et civiles functiones com-

(1) Cf. MEYER, *Instt. Judic.* lib. II. c. 8. p. 350.

plectebatur, et quibus nomen erat *grafionum* vel *comitum* vel aliquando *judicum*. Unusquisque vero comes arimannos sui comitatus, quoties res postularet, convocabat, sive ad bellum gerendum, sive ad res litigiosas decidendas. Conciones autem illae, quibus praeerat ipsi comes, quo distinguerentur a magnis totius gentis comitiis, vocabantur *placita minora*. Erantque proprie comites in placitis quidem majoribus ipsius regis *assessores*, in provinciis vero *agentes* ejus, unde et jurisdictio eorum nonnunquam *actio* dicitur.

Verum praeterquam quod ea comitum aliorumque magistratuum (1) jurisdictio multis incommodis laboraret (2), ipsa quoque convocatio ad placita civibus permolesta plerumque evaserat. Statutum quidem fuerat, ut septem *rachimburgii* sive cives nobiliores ad sententiam ferendam sufficerent, verum hos semper ipsi comites eligebant. Ac postquam vasallos habere coepissent, electionibus illis saepissime utebantur, ut faverent aliis; alios vero gravarent nimis; imo ex facultate assessores sibi eligendi quaestum quaerere deinde studuerunt, licentiam praebendo iis, qui judiciis interesse nihil curarent, ut immunitatem istius oneris, si vellent, pecunia emerent; et quo plures ad hanc negotiationem allicerent, atque hoc ipso majorem sibi pecuniam compararent, prae avaritia saepius, quam par erat, placita indicebant. Id quod etiam ordinis *Scabinorum* (3) institutio, a regibus deinde creati, non plane prohibere potuit.

Ex ea igitur officii militaris et judiciarii in una eademque persona conjunctione, multi nati sunt abusus, praesertim postquam comites illi, imminuta auctoritate Regum, munera sive magistratus suos hereditarios reddidissent. Exinde enim, cum vasalli quasi a populo universo disjungerentur et non amplius

(1) Singuli nempe comitatus dividebantur in varias partes, sc. in decanias, centenas, aliasque. Hinc magistratus inferioris ordinis *centenarii*, *tynphadi*, *vice-comites*, *vicarii*, *sculdasii*, alii.

(2) De quibus vid. MEYER *op. l.* lib. II. c. 11 p. 380 sqq.

(3) De quibus conferri in primis meretur VON SAVIGNY, *Geschichte des Röm.*

civitati sive Monarchae, sed peculiari suo domino servirent, justitia quoque magis in diem labefactari coepit.

Mox enim, abrogatis placitis, vasallorum domini, ut liberis hominibus, qui sese iis addixerant, antiquarum institutionum simulacrum quoddam relinquerent, ac simul auctoritatem suam in vasallos continuo exercerent, loco placitorum *curias* constituerunt (*cours seigneurales*). In hisce vero curiis, licet deinde ipsorum jurisdictio privilegio, quod vasalli impetrarant, ut sibi in posterum non nisi a *paribus* suis (*genossen*) judicia ferrentur, multum temperata esset, justitiam plane ex arbitrio et saepius praeter aequum et bonum administrabant. Constabant enim curiae ex paucis quibusdam vasallis, quos dominus pro lubitu convocabat. Hic vero, dum et causae, quae ad ipsum ferebatur, jam ante conscius esse, et vasallorum voluntates prius introspicere posset, copiam habebat alterutri actorum, cui forte majorem benevolentiam navaret, favendi nimis in damnum alterius, advocando nempe vasallos, quos illius causam probare autumabat; aut saltem in omni casu suffragia eorum, qui secum judicabant, facile in quam partem vellet, eblandiri poterat, quippe qui subjectissimi ei essent, ejusque amicitiam sibi conciliare aemularentur usque. Ut igitur hujusmodi abusus tollerentur, ipsum malum remedium postulavit.

Deinde vero restauratis litteris, et in primis Jure Romano, jurisprudentia non amplius sicut antea ars visa est, quae sano judicio et felici memoria, aut certe longa rerum experientia non imperite tractari posset, verum scientia, ad quam praevia doctrinarum copia et altiora studia requirebantur. Unde simul apparuit eum, qui olim causam quamlibet sibi propositam nuda mente ac communi intellectu dijudicaret, et secundum consuetudinem dirimeret, jam primo statim concursu in extremas angustias compelli ab adversario, qui eandem causam scientius exponere, verae aut simulatae eruditionis artificio commentari, et terminis technicis uti poterat; quique potius mentem quam

Rechts im Mittelalter, T I. c. 4. art. 2. p. 195—239.

verba legis interpretabatur; qui per analogiam a casu lege comprehenso ad casum objectum disputabat; verbo, qui armis utebatur, quae doctrinae abundantia et consummata rei notitia adversus ignorantiam praebere solet. Ideoque ubi legum interpretatio difficilior earumque applicatio frequentior evaserat, ipsa rerum natura suasit, ne amplius munus ejusmodi in posterum obirent homines, quos alia negotia multa occuparent, sed qui in illud omnem operam conferre, seque in eo totos collocare possent.

Tandem reges potestatem suam, quae dominorum usurpationibus pene exstincta fuerat, denuo recuperare, omnemque monarchiam ad nativam conditionem reducere merito studuerunt. In hunc igitur finem administrationem justitiae ad se propius revocarunt, ut sic et populum sibi magis devincirent, et nimiae vasallorum suorum auctoritatis ipsum fundamentum everterent.

Ob supramemoratas itaque causas, ex necessitate quadam justitiam faciendi munere a cura rei militaris separato, dominicis curiis sensim substituta sunt *tribunalia*, quorum perpetua est jurisdictio. Quos vero et quam felices effectus ea tribunalium constitutio ad firmandum societatis ordinem habuerit explicare, et extra institutum nostrum videtur, et jam toties ab eruditioribus viris factum est, ut acervis librorum hac de re conscriptorum aliquid addere, arrogantiae me argueret (1). Quapropter aptioribus calamis illud relinquemus, satis fecisse ducentes, si fata constitutionis monarchicae sequamur, et, quantum fieri potest, paucis verbis notemus.

6. — III. Ultimo denique loco inter corpora interjecta requiritur *magnum gentis concilium*, *quod totius civitatis vices sustineat*. Inquirendum igitur, quomodo civitas, quae corpus morale est, externa reddi sive repraesentari possit.

Scilicet in societate civili homines eorumque bona conjunctim considerantur, ideo quod in civitate necessario relationes

(1) Cf. inter alios MEYER *op. l.* lib. II. c. 22 p. 503 sqq.

hominum cum bonis oriantur, nec sine relationibus iis civitas cogitari possit. Hinc autem civitas repraesentari non potuit nisi ab hominibus *proprietariis*; et cum in societate semper ad familias, non ad singulares homines respici oporteat, hinc corpus reipublicae repraesentari non potuit nisi a professionibus socialibus proprietariis, i. e., quae ab ipsa societate in compensationem officiorum certa bona tanquam propria acceperant. Primis vero temporibus non plures quam tres aderant professiones a societate eo modo donatae, sc. Religio, Imperium sive Monarcha, et Nobilitas. Germani enim, qui nulla in re se cogi patiebantur, sponte regibus et sacerdotibus suis dona ferre assueverant, *quae pro honore accepta etiam necessitatibus subveniebant* (1). Et cum deinceps necessitates ob ipsum civitatis incrementum magis magisque augerentur, ipsa quoque rerum natura suasit, religioni et Imperio certum fortunae subsidium concedendum esse, quo nec in sustentanda dignitate, aut tolerandis sumptibus ad cultum externum necessariis, a quoquam penderent, utpote ex quo utriusque vis et auctoritas multum firmari videretur. Tunc igitur tam Imperio, quam religioni praedia adsignari coeperunt, et quia civitas sine Religione et sine Imperio subsistere non posset, ipsa iterum rerum natuna postea constituit, ut praedia ista alienare non liceret.

Porro Nobilitas eodem modo proprietaria facta est. Imperantes enim, uti supra narravimus, nobilibus, ad quos pertinebat defensio civitatis, praedia tradiderunt sub conditione operam militarem praestandi. Eaque vera origo et ratio feudorum habenda est, licet forsan probari possit praedia nonnulla sive feuda fuisse, quae vel gratis vel sub aliis conditionibus possidebantur.

Hisce igitur convenienter olim quidem magnae gentis conciones ex Rege, ex Clericis, et ex Nobilibus constitisse novimus. Nec objicias apud Germanos primum comitia inveniri, ad quae universus omnino populus congregabatur: uti refert TACITUS, *de*

(1) Cf. TACIT. *de morib. Germ.* c. 15.

majoribus omnes consultant (1). Id sane optime argumento probat, conciones ejusmodi ex ipsa civitatis natura necessario adesse debere; verum quod civitatibus illis, nascentibus modo, initio conveniret, id amplificata et perfecta paulatim societate politica, non amplius admitti potuit; et quod nonnulli perperam mutationem constitutionis ab hominibus inductam vocant, nihil aliud fuit quam naturalis ejusdem progressio.

Postea vero possessione praediorum, quae sub conditione operam militarem praestandi nobilibus concessa fuerant, hereditaria facta ob id ipsum quod officium eorum civitatem defendendi hereditarium esset, servitutem paulatim aboleri videmus. Feudatarii nempe, quum se non amplius praediis privari posse intelligerent, servis suis agros colendos tradiderunt, et quidem ita, ut qui ante ipsorum coloni fuerant, jam *emphyteuticarii* fierent, et sub certis conditionibus feudorum fructibus uterentur, quos antehac tanquam servi ad dominos ferebant. Hinc igitur tertius ordo proprietariorum natus est, postquam, abrogata servitute, commercio, quod maxime rectum et moderatum libertatis usum docet, urbes florere magis et amplificari coepissent. Hucusque enim, cum magni vasalli injustis usurpationibus regiam potestatem ita imminuissent, ut Regibus revera praeter nomen nihil relinqueretur, et omnis monarchia prorsus eversa esset, urbes impune opprimebantur, hoc ipso quod Regibus, propter compressam nimis potestatem suam, populum tueri vix liceret. Verum ita semper sese habet natura, ut ipsum malum, ubi ad summum invaluit, remedium afferat. Reges enim paulatim potestatem suam recuperare omni opera studuerunt: quod consilium, licet saepe temporum necessitate interruptum, tandem ad exitum duxerunt. Adjuvabant autem ipsae urbes, quae magnorum vasallorum superbiam oderant et potestatem metuebant. Has igitur reges, quo magis propriam potestatem firmarent, ab oppressionibus liberarunt, inque magnum gentis concilium vocarunt. Ita ut jam concio generalis ex tribus ordinibus, Nobilitate, Clericis et Urbibus con-

(1) *Ibid.* c. 11.

staret. Ipsumque concilium nomen *Ordinum Generalium* accepit.

Caeterum, etsi supramemorata comitia in monarchia necessario ex ipsa ejus natura haberi debeant, uti mox in singulis separatim dicemus, congregari tamen non possunt nisi ad convocationem Monarchae, a quo dissolvi quoque debent. Nam si conciones ejusmodi assiduo et perpetuo haberentur, non amplius constitueretur monarchia, in qua unus supremam totius civitatis potestatem teneret, sed aristocratia quaedam, ex privatis nonnullorum potestatibus sibi invicem aequalibus composita, et in qua plures paucioribus imperarent. Addo et hoc: quia diversae unius civitatis provinciae ita subjacent Monarchae regimini, ut neutra in alteram quidquam imperii habeat, nec proinde ex sua auctoritate reliquas convocare possit; et (licet talis conventus, qui universam societatem repraesentat, non facile praesumatur aliquid agere, quod ad rei publicae salutem non pertineat), quia fieri tamen potest, ut in ipsis deliberationibus ambitiones, injuriae, tumultus oriantur, quibus reprimendis totus ipse consessus dispar sit, eccui magis tum convocandorum, tum dissolvendorum comitiorum curam tribuemus, quam ipsi illi, qui toti civitati cum Imperio praeest?

Tandem quoque in magno illo gentis concilio varios ordines inter se nullo modo confundi oportet. Non enim naturale est, ut professiones ratione officii ab aliis *distinctae* cum ipsis illis, a quibus distinguuntur, eodem loco habeantur. Quare illud ab initio semper observatum fuisse constat. Legimus enim de solemni consessu OO. GG. sub PHILIPPO PULCHRO habito: «les »deux ordres étaient placés sur un théâtre fort élevé; le troisième ordre était assis par bas» (1).

Vidimus autem hucusque de convocandis et ordinandis comitiis, videamus nunc, quibus in rebus civitatis totius partes agere debeant. Quae quidem ad tria capita revocari possunt. Occupantur enim Ordines vel 1°.) in *tributis concedendis*; vel 2°.),

(1) MÉZERAY, *abrégé chronologique de l'histoire de France*, T. III. p. 510. (édit. 1689).

exstincta familia regia, in *alia eligenda;* vel 3°. in *legibus custodiendis.* Singula diligentius examinanda sunt.

1°.) Imperium quippe tributis exigendis nihil aliud facit, quam partem quandam ex bonis civium ad conservandam civitatem adhibere.

Leges igitur, quibus de tributis solvendis cavetur, relationes necessariae sunt, quae tam ex natura bonorum, quam ex natura civitatis derivantur. Ex natura bonorum, inquam: sunt enim bona, de quibus major pars tributi nomine decerpi potest; ex natura civitatis: sunt enim civitates ad quas servandas majores sumtus, atque hinc majora tributa requiruntur.

In tributis vero quinque potissimum consideranda veniunt: nempe *a*) *rogatio; b*) *concessio; c*) *perceptio; d*) *impensa* sive *usus; e*) denique *acceptorum et expensorum ratio.* Singula quomodo peragi debeant, inquiramus. Sed simul observa, nihil perspicue magis declarare, quam sedulo in omnibus monarchia rerum naturam sequatur, quam ipsa haec inquisitio, quae subjicitur.

a) Imperium seu Monarcha tributa rogare sive indicere debet: naturale enim est, ut cui ad conservandam civitatem universam suprema potestas commissa est, ipse omnium optime noscat, quid ad salutem et conservationem civitatis necessarium sit;

b) Civitas vero tributa concedere sive rogationem a Monarcha factam inquirere et probare debet: naturale enim est, ut qui possideat, penitus exploratum habeat, quid et quantum et quo modo ex bonis suis ad communem defensionem conferre valeat;

c, *d*, *e*) Monarcha tributa percipere, impendere et rationes reddere debet per varios ministros sive agentes suos: nullus enim melius percipere potest quam qui ipse indicit, nec melius rationes reddere quam qui ipse impendit. Ministri vero sive agentes illi Monarchae, quoties in perficiendo officio concussionibus aut fraudationibus utantur, poenis legibus definitis tenentur, deque iis judicium ferri debet a tribunalibus, ad quae pertinere diximus legum applicationem;

Civitas perceptioni prospicere et rationes accipere debet. cum nemo aptius perceptionem curare possit, quam qui solvunt, nec melius rationes accipere, quam a quibus solutum est. Perceptionem vero istam curare et rationes accipere civitas non potest, nisi per officiales quosdam, qui assiduo hoc munere fungantur, quique in eo exercendo privatis Monarchae voluntatibus nulla ratione obnoxii sint. Hinc institutio camerarum sive curiarum, quae rationibus publicis praesunt (*Rekenkamers*, *Cours des Comptes*).

Prima itaque OO. GG. functio in *tributorum concessione* consistit. Quam necessaria vero sit haec civitatis interventio, apparebit, si memineris nos inter modos, quibus opprimi potest civitas, retulisse, si Monarcha, suam privatam voluntatem substituens voluntati civitatis generali, cujus exercitium est, tributorum nomine aut nimium aut non satis ad defendendam civitatem exigat. Ut igitur periculum ejusmodi arceatur, necesse est, ut ab ipsa civitate inquiri possit, num rogatio a Monarcha facta justa sit. Idem quoque valet in percipiendis et impendendis tributis: nam ne Monarcha plus percipiat, quam concessum sit, nec pecunias publicas in privatos usus convertat, necessarium utique est, ut civitas perceptioni prospiciat et rationes accipiat; verum id non in magno concilio, sed per officiales *ad hoc* constitutos fieri debere, jam supra notavimus.

Quae vero hactenus de concessione tributorum generaliter diximus, aliquantum restringunt quae subjiciuntur.

Sumtus scilicet, qui ad administrandam et defendendam civitatem requiruntur, duplicis sunt generis: alii ordinarii, quorum causa assidua et quodam modo perpetua est, alii extraordinarii, quorum causa adventitia et temporaria est. Hinc autem ipsa tributa vel ordinaria vel extraordinaria esse debent.

Quamdiu enim sive hominum numerus sive bonorum copia nec augetur nec minuitur, non etiam mutantur administrationis sumtus, et quamdiu imminentes aut minitantes hostes non majorem apparatum suadent, sumtus defensionis pariter non mutantur.

Quapropter, manente tributorum objecto, manere debent ipsa tributa neque mutari interea possunt.

Ex hoc itaque principio omnino opus est, ut pro sumtibus illis ordinariis certum quoddam temporis spatium statuatur, intra quod, semel facta tributorum rogatione a Monarcha, et semel data concessione ab Ordinibus, nec nova rogatio fieri, nec nova concessio dari necesse sit: donec, elapso eo tempore, denuo consideretur, num mutata civitatis conditio majores minoresve sumtus requirat, numque igitur tributorum censum augeri minuive oporteat.

Verum si bellum oboriatur, aut si cura ornandae civitatis (quae omnino etiam ad conservationem ejusdem pertinet), vias muniri, aedificia construi, portus aperiri jubeat, utique extraordinarii sumtus requiruntur, atque hinc tributa extraordinaria indicantur necesse est, quae tamen, cessante causa, mox cessare debent. Enimvero in magna civitate, ubi semper ejusmodi opera publica aut facienda aut reficienda sunt, sumtus illi inter ordinarios referri possunt, ac certas pecunias in illum finem erogandas Monarchae concedi oportet, ita ut sumtus extraordinarii sive adventitii ad solum casum belli reduci possint, imo debeant.

At si reipublicae intersit, ut bellum indicatur nec exspectetur donec denuncietur, aut si civitas improvise ab hostibus circumveniatur, quomodo festinatio, qua defensio in ejusmodi casu suscipienda est, conciliari poterit cum necessitate convocandi Ordines, a quibus extraordinaria subsidia concedantur? Nonne etiam in ipsis deliberationibus ab hominibus forte inquietis aemulationes ac turbae excitari poterunt, ita ut ex nimio contradicendi studio gravior aliqua dissensio oriatur, qua, jamjam imminente bello, Imperium prematur? Ergo ut hoc iterum periculum evitetur, necessarium est, ut Monarcha certam quandam pecuniam *proerogatam* habeat, qua primos belli sumtus compensare liceat: quae tamen pecunia caute definiri debet, ita ut sumtibus, quatenus conjectura aestimari possunt, potius non sufficiat, quam eos superet.

Quodsi hactenus de tributis ex naturali rei ratione vidimus, jam rursus, ut viam hucusque a nobis tritam servemus, ad facta historica properandum est, ut probemus, apud gentes originis Germanicae atque adeo in Francia, perpetuam fuisse legem fundamentalem monarchiae, Reges tributa a subditis exigere non posse, antequam utrinque mutuo consensu comprobata fuissent. Ante omnia autem animadvertendum est, initio Reges nulla tributa populo imposuisse. Habebant enim, unde secundum rationem dignitatis suae viverent, reditus domaniorum, dona gratuita, mulctas, confiscationes, alia, quae ex legibus percipiebant. Bellorum sumtus publici nulli erant, cum propter officium feudale, quod totum fere erat militare, vasallus cum suis hominibus principem ad bellum sequi obligaretur, ad nullam fere aliam operam adstrictus. Ad vias caeteraque opera publica exstruenda aut reficienda civium labor sufficere videbatur. Justitiae denique administratio non solum non expensis locum non dabat, sed reditum haud exiguum afferebat, cum praeter satisfactionem laeso, damnatus Imperanti quoque, tanquam molestia affecto et dolore, mulctam solvere teneretur.

Quod vero ubivis factum est, simul ac societas politica ad majorem cultus et perfectionis gradum pervenisset, necessarium fuit ut, aucta bonorum copia, auctis vero simul sumtibus publice faciendis, a singulis civibus peteretur facultatum quaedam pars, qua publicum civitatis finem adjuvarent. In primis autem id factum fuit introductis militum copiis perennibus (*troupes réglées*).

Etsi autem temporis punctum quo exigi coeperunt tributa praecise indicari non possit, certissimum utique est, inde a PHILIPPO PULCHRO qui primum ordines generales convocavit (1301), coram quibus *praecepit ut dominus et rogavit et precibus institit ut amicus*, ut sibi subsidia concederentur, principes tributorum impositionem sibi non aliter permissam agnovisse, quam petito et impetrato totius gentis consensu. Quod quidem exemplis a singulis Regibus petitis, etsi praesto sint, probare nolu-

mus, cum instituti nostri ratio, quae brevitatem, quantum ea servari potest, commendat, illud vix patiatur; sed tamen, ne quid leviter dixisse videamur, hic solum monstrabimus, quam temere nonnullorum et praesertim posteriorum Principum facta vulgo memorentur, ex quibus colligatur, obligationem consensum Ordinum in exigendis tributis rogandi in Francia certe non ut legem fundamentalem habitam fuisse, utpote quae saepius neglecta fuerit.

Scilicet CAROLUM VII anno 1440, introductis militibus stipendiariis, qui dicebantur *compagnies d'ordonnance*, primum tributum absque ordinum generalium consensu populo imposuisse nonnulli narrant scriptores historici. Verum primo quidem satis incertum est, eum revera hac in re a legibus fundamentalibus monarchiae recessisse, cum multi alii auctores antiqui, qui in scribenda historia optimam quoque laudem meruerunt, omnem culpam plane ab eo auferunt. Sic BOULAINVILLIERS ad ipsum tributum, quod supra memoravimus respiciens, hoc habet: « pour former cette somme, qui parut immense dans la proposition, le Roi établit de son autorité, *mais en conséquence du consentement des Etats-Généraux tenus en 1440* une taxe générale sur les fonds de terre et sur l'industrie des peuples » (1). Quocum omnino facit auctor egregius qui ipsam vitam CAROLI VII conscripsit. « CHARLES VII (ita inquit) voyoit chacun an, » et plus souvent, tout le fait de ses finances: car il l'enten» doit bien..... On mettait sus chacun an le paiement de quinze » cents lances seulement, sans mettre sus aucune crue de de» niers ou autres choses quelconques. Et la première crue qui » fut mise sus de son tems furent cinquante mille écus pour feu » le Duc de Calabre pour cuider recouvrer Gennes; la seconde... » la tierce... lesquelles sommes furent mises sus et levées en » diverses années du vouloir et consentement des gens des trois » états » (2).

(1) *Op. l.* T. III p. 108.

(2) GODEFROI, *histoire de Charles VII* in praefat.

Praeterea notatu dignum est, ipsos auctores, qui CAROLUM VII tributa populo, non interveniente consensu ordinum, imposuisse accusant, simul tamen fateri, eum hoc magis astutia quadam quam vi fecisse, adeo ut, si non legitimo tamen aliquo modo universa gens in ea consensum dederit: « les grands s'y prêtèrent par intérêt, et le peuple, y donna une sorte *d'accordance*, » observat MEZERAY (1).

Ergo CAROLUS VII, licet forsan in exigendis tributis artibus quibusdam usus fuerit ut sibi facilius ordinum consensum conciliaret, revera tamen legem fundamentalem monarchiae, quae tributorum exigendorum modum praescribit, integram servavit. Audacior vero fuit ejus successor LUDOVICUS XI (1461), neque dubium est, eum sine consensu Ordinum Generalium tributa populo imposuisse, quin eum omnes historici communi testimonio reum faciunt. At si consideretur LUDOVICUM XI, quandiu regnavit, ita Imperio abusum fuisse, ut inter bonos principes non uno nomine connumerari possit, non mirum videbitur, eum quoque in tributis exigendis fundamentales monarchiae leges nihil curasse, easque turpiter transiisse. Sed qui ita imperavit, ut vix aliquid fecerit, quod imitari possent ejus successores, quique salutem populi ita neglexit, ut orta adversus eum seditio a bono publico, quod reparandum videbatur, nomen sumeret (*ligue du bien public*), numquid hujus injustitia legem quamlibet fundamentalem, quam ipse servare noluit, aut minus necessariam aut minus utilem esse probabit? Ne ita judicemus nos monet ipse LUDOVICUS XI, qui, cum moribundus jaceret, et magno dolore angeretur ob imperii istum, quem fecerat, abusum, expressis verbis agnovit, ex ipsa natura monarchiae consensum comitiorum ad exigenda tributa esse necessarium, seque eum non rogando ipsum monarchiae naturalem ordinem intervertisse: « se sentant affaiblir de jour en jour, il envoya » quérir son fils à Amboise, lui fit de belles remontrances, et » qui condamnoient directement toute la conduite, qu'il avait

(1) *Abrégé chron.* T. IV p. 464.

»tenue: car il l'exhorta *à suivre les Loix* et à reduire les levées »des deniers *à l'ancien ordre du royaume qui étoit de n'en »point faire sans l'octroi des États»* (1).

Et licet deinde sub FRANCISCO I (1515) et post eum plerumque tributa sine consensu Ordinum Generalium imposita fuerint, tamen inter Reges nullus fuit, a quo non semel aut plus Ordines convocati sunt, ut sibi ad bellum gerendum aut alias impensas necessarias pecuniarum subsidia darent (2). Atque insuper quotiescumque consensum Ordinum Generalium minime rogarent, nunquam tamen in exigendis tributis potestatem arbitrariam sibi arrogare voluerunt. Edicta enim sua de tributis (*édits bursaux*) Parlamento, quod Parisiis sedem habebat, inserenda mittebant, tanquam si libera ea et voluntaria insertio velut totius gentis ratificationem et consensum innueret, praesertim quod illud collegium maximam exerceret auctoritatem et a populo commoda universi regni curare revera crederetur. Non quidem negari potest eos immerito, forte ut facilius Ordinibus Generalibus possent carere, illud jus concedendi tributa Parlamento tribuisse, recteque anno 1787 Parlamentum idem illud jus recusasse, utpote quod solis Ordinibus Generalibus competeret, sed ex ea Principum agendi ratione saltem colligere licet, eos nunquam credidisse se, salva fundamentali monarchiae constitutione, ab omni gentis consensu abstinere posse.

Ex quibus igitur omnibus patet, Reges Franciae legem fundamentalem monarchiae, quae de tributis exigendis cavet, etiamsi saepius eam cum magno certe reipublicae damno violarint, per omne tamen monarchiae tempus constanter agnovisse; adeo

(1) MÉZERAY *abrégé* T. IV p. 610.

(2) V. c. anno 1527 a FRANCISCO I (*cérémonial François* T. II p. 481 sqq.); a. 1558 ab HENRICO II (MÉZERAY, *histoire* T. II p. 1123); — a. 1560 et 1561 a CAROLO IX (MEZERAY, *abrégé* T. VI p. 74); — a. 1576 et 1588 ab HENRICO III (MÉZERAY, *histoire* T. III p. 720; *abrégé* T. VI p. 358; *Recueil général des Etats tenus en France* part, II p. 93); a. 1590 ab HENRICO IV (MÉZERAY *histoire* T. III p. 1186).

ut pleno jure dici possit, hanc perpetuo inter fundamenta constitutionis monarchicae fuisse receptam.

2°. Alteram Ordinum sive Comitiorum functionem in eo versari diximus, ut, exstincta familia regia, aliam eligant.

Non enim ad servandam civitatem sufficeret, Imperium certae cuidam familiae commissum esse, nisi civitas, ea exstincta, in se ipsa remedium haberet aliam in ejus locum designandi. Quin etiam haec novae familiae regiae electio ex ipsa natura Imperii necessaria redditur: est namque Imperium sive Monarcha exercitium voluntatis generalis totius civitatis: ex quo igitur ultro consequitur totum corpus civitatis, exstincta familia, cui Imperium fuerat commissum, aliam designare debere a qua voluntas ejus generalis exerceatur. Atque illud haud semel ipsi Reges agnoverunt. Quod quidem, ut alia exempla antiquiora praetermittam, ex testimonio LUDOVICI XV, Francorum regis, qui saeculo ante hoc proximo regnavit, luculentissime probari potest. Anno sc. 1714 LUDOVICUS XIV edicto mensis Julii Principes legitimatos, deficientibus legitimis, ad regnum vocaverat. Hoc autem edictum ab ejus successore anno 1717 revocatum fuit. In posteriori autem ea lege Rex ait: « Nous espérons que Dieu » qui conserve la Maison de France depuis tant de siècles, ne lui » sera pas moins favorable à l'avenir, et que la faisant durer autant » que la monarchie, il détournera par sa bonté le malheur, qui » avait été l'objet de la prévoyance du feu Roi: mais si la » nation française éprouvait jamais ce malheur, *ce serait à la* » *nation même qu'il appartiendrait de le réparer par la sagesse* » *de son choix.* » Atque in declaratione 22 April 1723, qua de ordine Principum legitimatorum cavetur, iterum ait Rex: « ayant » reconnu que ce qui n'était dans l'intention du feu Roi que » l'effet d'une prévoyance, qu'il avait crue nécessaire pour pré» venir des troubles et assurer la tranquillité dans ce Royaume, » non seulement donnait atteinte *au droit qui appartient le plus* » *incontestablement à la nation française, de se choisir un Roi,* » *au cas que dans la suite des temps la race des Princes légi-*

»*times vint à s'éteindre*, mais encore..... caet».

3°.) Tertia tandem eaque haud minoris momenti Comitiorum functio in *custodiendis legibus* versatur. Docet MONTESQUIEVIUS: « dans une monarchie il faut encore un dépôt de lois. Ce dépôt » ne peut être que dans les corps politiques, qui annoncent les » lois lorsqu'elles sont faites, et les rappellent lorsqu'on les » oublie » (1).

Prout enim amplificatur civitas, augentur homines et rerum dominia, atque inde etiam relationes tam hominum inter se quam hominum ad res, sive leges multiplicantur. Hinc, quo possint leges civibus innotescere, opus est custodia, qua leges quasi depositum serventur, sed in quod depositum non nisi leges necessarias recipi oportet.

Verum haec legum custodia monarchae committi nequit, quia privata ejus voluntas leges, quibus civitatis voluntas generalis expressa est, evertere aut depravare posset; neque tutius monarchae administris, quorum officium est distinguere semper generalem civitatis voluntatem a privata principis sive hominis voluntate: nam etiam hi, si quando, privatis abrepti utilitatibus, officium suum negligere vellent, legibus adulterandis ad sua proposita optime consulerent. Ut igitur omnis leges convellendi occasio tollatur, custodia earum committi debet corpori cuidam politico, quod ab omni corruptela et seductione sit immune. Videbimus autem illud corpus non aliud esse posse quam ipsum magnum totius gentis Concilium; sed explicandum prius, quid proprie significatur ea legum custodia.

Scilicet custodia legum proprie quidem ac praecipue in eo consistit, ut provideatur ne aliae leges in civitate condantur, nisi quae utiles, id est, necessariae sint. Ex quo multa alia, quae ad custodiam legum spectant, sequuntur, sc. ut legum, quae jam constitutae sunt, observantia servetur aut amplificatio rogetur, vel ut legum, quas non necessarias esse constiterit,

(1) *Esprit des lois* II. 4.

abrogatio, aut novarum legum, quarum necessitas probata fuerit, constitutio curetur.

Leges enim, uti jam saepius observavimus, ex ipsa natura rerum sive ex relationibus necessariis tam hominum inter se quam hominum ad res derivari debent. Iisque igitur generalis totius civitatis voluntas exprimitur, quacum, ut justae bonaeque sint, convenire omnino debent: adeo ut, quibus custodia legum incumbit, revera nihil aliud faciant, quam custodire ipsam generalem civitatis voluntatem, id est, curare, ne quid adversus hanc in civitate introducatur.

Monarcha vero, propterea quod etiam homo sit, facile, si in legibus condendis solo suo judicio agat, in errorem induci potest, ita ut in legem scribat consuetudinem quandam, quam natura sive generalis civitatis voluntas haudquadam admiserit, i. e. in legem redigat abusum aliquem, aut legibus jam tum in civitate vigentibus mutationes afferat, quas illa necessarias esse nulla ratione ostenderit. Ideo ne decipiatur monarcha, in ipsa lege fundamentali constitutionis monarchicae praesidium habet, qua nempe jubetur ad condendas leges comitia adire, in quibus a toto corpore civitatis certior fiat, an in legibus, quas ipse meditatur, revera generalem civitatis voluntatem, cui nihil impedimentum struere valet, secutus fuerit.

Ac si iterum historiam hujusce legis fundamentalis monarchiae attendamus, nullum est dubium, quin a primis inde temporibus ubique habita fuerint Comitia, in quibus de negotiis ad statum et salutem reipublicae pertinentibus deliberaretur, ita ut Princeps non nisi e consensu eorum, qui comitiis interfuerant, et qui vices totius civitatis sustinuerant, aliquid statueret vel ediceret.

Germani quippe, quamdiu adhuc in sylvis plurimum viverent, privata rerum dominia vix possidebant, atque ideo paucas admodum leges civiles habebant; et cum vix aliud quam dominium personarum haberent, potissimum legibus criminalibus utebantur. Hinc mulctarum aestimationes plurimae (*werigilda*)

ad reparanda homicidia, vulnera, convitia, injurias. *Compositiones* autem illas a reo solvendas esse Rex nunquam decreto jubebat, nisi prius in magnis totius gentis placitis, in quibus de ipsa causa cognoscebat populus, definitae essent (1).

Post vero exculta magis societate politica, quum simul majorem bonorum copiam acquisivissent, ipsum haec servandi et defendendi studium illos suasit, ut leges scriptas sibi compararent. Ex quo igitur antiquas suas consuetudines in leges scriptas condiderunt. Hinc codices Saxonum, Wisigothorum, Longobardorum, Burgundionum, aliorumqne.

Jam autem leges Salicae, antiquissimum certe de hac re monumentum, a Regibus communi adhibito comitiorum consensu latae fuerunt: «*Dictaverunt Salicam legem proceres* »*ipsius gentis;..... hoc decretum est apud Regem et principes ejus, et apud cunctum populum Christianum, qui intra regnum Merovingorum consistunt.*» Et cum sub CLODOVAEO I (481) legem Salicam in nonnullis mutandam esse apparuiset, eam mutavit Rex, cognito rursus comitiorum consensu. Legitur enim in prooemio ipsius legis: «CLODOVAEUS *una cum Francis* per- »tractavit ut ad titulos aliquid amplius adderet» (2).

Ac postquam CAROLUS *Martellus* (717) comitia illa abolere conatus fuisset, et PEPINUS (752) ea pro parte revocasset, CAROLUS MAGNUS tandem (768) pristinum jus comitiorum in totum reduxit. Neque, id faciens, arbitrabatur populo suo gratiam quandam aut meram liberalitatem concedere, sed institutum quoddam quasi naturale et necessarium, quod sui antecessores injuste subverterant, a se restaurari credebat (3). Et revera CAROLUM MAGNUM in legibus condendis comitiorum consensum adhibuisse, omnes antiqui scriptores auctoritate sua confirmant, veluti HINMARUS in Tractatu *de ordine palatii*, ubi docet «CA-

(1) Cf. supra pag.

(2) Vid. *Cod. legum antiquarum* Lindenbroekii p. 347.

(3) Quod iisdem verbis observat BOULAINVILLIERS, *histoire de l'ancien gouvern. de la France* T. I. p. 215.

»ROLUM MAGNUM quotannis convocasse mallum seu placitum, in »quo generalitas universorum majorum, tam clericorum quam »laïcorum, conveniebat» (1). Idem narrat AGOBARDUS, Episcopus Lugdunencis, ubi sollicite omnes enumerat, qui comitiis illis interesse solebant: «qui utique conventus exstitit ex reve»rendissimis Episcopis et magnificentissimis viris illustribus, »collegio quoque Abbatum et Comitum, promiscuae aetatis et »dignitatis populo» (2). Imo in lege quadam a CAROLO MAGNO anno 803 lata expressis verbis cavetur, ut, quoties de nova lege condenda agatur, res ad comitia feratur (3).

Et post CAROLUM MAGNUM ad leges condendas comitiorum consensum semper accessisse, extra omnem dubitationis aleam ponunt ipsae leges sive *Capitularia*, in quibus Reges pleno ore profitentur, «se nihil *nisi ex voluntate et consensu omnium*, *qui comitiis interfuerunt*, statuere et jubere» (4), et quorum collectionis sive corporis ipse titulus sese habet: «*Incipiunt Ca»pitula Regum et Episcoporum, maximeque nobilium Francorum »omnium*» (5).

Caeterum Comitia illa, quorum tantam fuisse auctoritatem vidimus in condendis legibus, curabant quoque legum jam constitutarum observantiam. Sic CAROLUS MAGNUS, audita querela Comitiorum, abusum quendam tollit, quem contra leges permiserat: «canonum regulis edocti, *consultu videlicet omnium »nobilium nostrorum*, nosmetipsos corrigentes volumus... caet.» (6). — LUDOVICUS I *Pius* (814) inter alia plura illud fidelibus

(1) Vid. ejus *Op Omn.* vol. II. cc. 29. 33. 35. p. 211. sqq.

(2) Vid. ejus oper. p. 378. Cf. *les origines de l'ancien gouvernement de la France*, T. III. p. 87 sqq.

(3) ROBERTSON, *history of the reign of the Emperor Charles V*, T. I. p. 345.

(4) Exempla inter alia multa occurrunt *Capit.* ed. Braluzii T. II. p. 5., 47, 143, 164, 227, 231 etc. — Et tam necessaria videbatur haec legum ferendarum forma, ut CAROLUS *Calvus* (840) eam in ipsa legis definitione scripserit: «Lex *consensu populi* fit et constitutione Regis». Edict. Pistense, c. 6. ibid. p. 174.

(5) Vid. *Capit.* T. I. p. 698.

(6) Ibid. T. I. p. 409.

tatum Tolosae titulo judicaturum Regem in sua *Aula* (1). Atque alibi etiam *Consilium*, *Magnum Consilium*, *Commune Consilium* appellatur. Medio tandem saeculo decimo tertio nomen *Parlamenti* accepit, quod deinde retinuit. Eratque initio ambulatorium, et Regem, quocumque iret, sequebatur. Postea vero a PHILIPPO *Pulchro* anno 1304 perpetuum (*sédentaire*) factum est.

Ab eo autem tempore Reges edicta sua ad Parlamenta miserunt, ut ea actis insererent, quae insertio comprehendebat ratificationem. Illud autem perpetuo observatum fuisse, non est quod exemplis allatis probemus, cum ea de re, tanquam certissima et omnibus notissima, dubium quidem nullum moveatur. Solum vero videndum est, quatenus illa Parlamentorum insertio ex lege fundamentali monarchiae, secundum quam de legibus, a Monarcha condendis, ab ipso corpore civitatis inquiri debet, profecta sit, et cum ea convenerit.

Negari quidem non potest, si rem obiter spectes, hanc Parlamentorum politicam jurisdictionem ab antiquo legum ferendarum modo, cum de iis in magno gentis concilio deliberaretur, multum differre; verum tamen, si illius origo et natura paulo interius inspiciatur, apparet Parlamenta revera a pristinis Comitiis nata fuisse, et, quemadmodum haec, repraesentationem aliquam totius gentis, etsi minus perfectam, constituisse.

Ac primum quidem ipsa insertio, sive relatio in acta a parlamentis facienda, minime fuit institutum plane novum et antea incognitum. Jam enim olim sub Regibus secundae stirpis, quum leges adhuc in magnis comitiis conderentur, lex qualibet a Rege proponenda, prius a cancellario regni forma idonea scribebatur, a quo deinde Ordinibus offerebatur, et postquam a Rege promulgata esset, in Archivario publico servabatur, ut omnibus, quoties peterent, exemplar dari posset. Exstat quoque antiquum quoddam Capitularium CAROLI MAGNI, in quo haec leguntur .....« Haec capitula facta sunt, et consignata Stephano comiti,

(1) *Nouveau traité de diplomatique* T. III. p. 558.

»*ut haec manifesta faceret Parisiis mallo publico et illa legere* »*faceret coram scabineis;* quod ita et fecit, et omnes in uno »consenserunt..... etiam omnes Scabinei, Episcopi, Abbates, »Comites, manu propriae subtersignarunt (1).» *Mallus* autem hic significat curiam sive Tribunal comitis vel missi dominici, *Scabinei* judices erant, qui in curia ea assidebant.

Deinde communis est veterum auctorum sententia, Parlamenta ab ipsis Comitiis, quae antea fuerant, profecta esse, atque adeo, uti illa, universam gentem repraesentasse. «*Des* »*Etats-Généraux le Parlement a pris son origine*, et comme »quand il était ambulatoire il était *á l'instar de ces Etats*, de- »puis qu'il a été fait sédentaire, il est demeuré avec les mêmes »fonctions, et comme les Etats-Généraux, où le consentement »de toute la nation se donnait autrefois, ne sont plus assemblés »que très rarement, les Cours souveraines, *qui les réprésentent*, »*le donnent pour eux*, quand elles le jugent à propos et néces- »saire (2)» — Il faut que les édits passent par les Cours sou- »veraines, pour être en icelles leur droiture examinée. Les dites »Cours sont de grandes compagnies expertes au fait de justice, »constituées et dressées pour le bien public, *et qui réprésentent* »*les Etats de France* depuis quelque tems, que l'on a fait perdre »l'usage d'assembler et d'ouïr les dits Etats (3)»

Porro etiam ex eo, quod Parlamenta partes ipsorum Comitiorum agerent, credebatur lex, quae a Parlamentis esset comprobata et inserta, eandem solemmitatem et vim obligandi habere, quam si ab Ordinibus Generalibus fuisset probata: «quant aux

(1) Referente ROBERTSON *op l.* T. I. p 352.

(2) CLAUDE JOLY, *traité des Restitutions des Grands* p. 42 (éd. 1575).

(3) PAPON, *troisième notaire* lit. 5 tit du général des Rescrits p. 318 (ed. 1583). Hinc quoque est, quod nonnunquam Parlamenta appellantur *Etats-Généraux au petit pied*, uti appellantur in libello Ordinum Blaesarum (*Blois*); ad Regem Navarrae anno 1577: «Il faut que tous édits soient verifiés et comme »controlés ès cours de Parlements, bien que ces cours ne soient *qu'une forme* »*des trois États raccourcie au petit pied.*» — *Mémoires du duc de Nevers* T. I. p. 448 Paris 1665.

» édits, anciennement les Rois y procedaient de l'avis des gens » des trois Etats, et iceux assemblés et ouïs : et d'autant que de» puis l'on a changé de forme, *et que les Parlemens ont répre» senté les dits Etats*, ne faut douter que les édits projetés, con» clus et arrêtés par le commandement du Roi *avec l'avis et » conseil des gens d'iceux Parlemens*, en nombre suffisant, ne » soient ce que l'on dit *placita*, perpétuels, *et de même solem» nité et fermeté comme s'ils étoient faits et dressés, tous les » dits Etats du royaume ouïs* » (1).

Probavimus itaque non arbitrariam Regum potestatem, sed ipsam temporum conditionem et rerum eventa causam praebuisse, ut magno gentis concilio, quodad leges condendas, iisdem juribus, sed alia tantum forma, Parlamenta substituerentur. Hinc igitur recte concluditur, legem fundamentalem monarchiae, quae Monarcham jubet cum toto corpore civitatis de legibus, quas laturus est, deliberare, in Francia inde a stirpe Capetiana, si non amplius antiquo, tamen alio, licet minus perfecto modo servatam fuisse, cum libera Parlamentorum insertio pro totius gentis consensu semper habita fuerit.

Verum objiciet quis, opinionem nostram, qua Parlamentorum institutione legem fundamentalem monarchiae alia licet forma servatam fuisse contendimus, prorsus sine dubio infirmari argumento ab insertionibus coactis, quae dicuntur (*enregistremens forcés*), petito, utpote ex quibus manifesto pateat Reges, quoties vellent, in legibus condendis solo suo judicio uti, et consensu Parlamentorum, aut, quod eo contineretur, totius gentis consensu, se abstinere potuisse. Quare ea de re antequam finiamus, pauca subjicere liceat.

Duas sc. distinguere oportet insertionum ejusmodi coactarum species: alias, quae de expresso Regis mandato fiebant; alias, quas perficiendas curabat Rex in solemni concione, cui nomen *lit de justice*.

Quod priores attinet, iis nullo modo se obligari Parlamenta

(1) Ibid. p. 334.

existimarunt: id quod addita clausula «*ex mandato et praecepto Regis pluries iterato*», aut alia simili satis significabant, et quod expressis quoque verbis declaratur in decreto quodam Parlamenti Parisiensis anni 1437: «ea quae posthabitis summae »Curiae rationibus, Principe iterum et iterum jubente, palam »recitantur atque in acta publica regeruntur, *per vim atque »oppressionem recitata regestaque existimari*» (1). Et de verbis istis «*ex iterativo et expresso praecepto Regis*» notat BODIN: «ces expressions *ont telle conséquence, que tels édits ne sont »gardés ou bientôt après oubliés*», quod ut confirmet plura edicta Regum citat, quae aut nullam aut brevem tantum executionem habuerunt, propterea quod eorum insertio in acta Parlamentorum non fuisset libera (2).

Quoad insertiones in concionibus *lits de justice* a Regibus exactas, olim quidem concio illa solenmis erat consessus Regum in Parlamento, ut deliberationes de legibus suis ipsi audirent. Postea vero saepe Reges in Parlamentum venerunt, ut illud invitum leges inserere cogerent.

Verum constat leges eo modo a Parlamento insertas, nunquam pro justis legibus acceptas fuisse. Unde LUDOVICUS XIII in edicto anni 1641 queritur, «que le Parlement avait souvent *arrêté »l'exécution* des édits et déclarations verifiées en sa présence, »et séant en son lit de justice».

Deinde maxime notandum est, eo modo saepissime quidem inserta fuisse edicta de tributis (*édits bursaux*), in quibus urgens necessitas rationem ita agendi forte praeberet, rarissime vero alia edicta ad publicam civitatis administrationem pertinentia. Quod jam anno 1645 ipse Parlementi praeses, Regem allocutus, observavit: «Bien que depuis quelques années, c'est-à-dire »80 ans seulement, les Rois soient venus quelquefois au »Parlement faire registrer des édits en leur présence, sans les faire »délibérer par les suffrages, et que les édits vérifiés de cette

(1) *Placita Lucii*, lib V. tit. IV no. 10.

(2) *De la République*, liv. III. ch. 4. p. 29. (edit 1579).

» sorte aient été exécutés, *cela n'a jamais été fait que dans la*
» *nécessité de édits bursaux*, pour lever de l'argent sur le peu-
» ple; *mais non pas pour faire des établissemens et des lois*
» *nouvelles, qui concernassent le bien, l'honneur et la vie des*
» *sujets du Roi*, auquel cas tous les Rois ont trouvé bon, *sui-*
» *vant la loi et l'usage ancien du royaume*, que les ordonnan-
» ces fussent vérifiées avec connaissance de cause, et ne se trou-
» vera dans les trois tomes de nos ordonnances *aucun établis-*
» *sement, qui tienne lieu de loi, qui ait été vérifié de la*
» *sorte* » (1).

Tandem nulla facta est unquam eo modo insertio a Parlamento, quin simul querelas de vi sibi illata ad Reges deferret. Ac ne exemplum desideretur, quanta constantia adversus Regum injustitiam jus suum vindicaret, describam nonnulla ex oratione ejusdem praesidis Parlamenti Parisiensis, qua anno 1648 Principem ANNAM, matrem LUDOVICI XIV, eo tempore regni procuratricem, ita fere allocutus est: « nous ôter la liberté de
» parler et de dire nos sentimens, c'est renverser le fondement de
» cet état, c'est rompre le lien qui unit la souveraine puissance
» avec les sujets, c'est détruire le canal, qui sert à faire passer
» les volontés du Roi pour les faire entendre à son peuple.... Les
» lois déclarent que celui-là est un usurpateur qui vient s'emparer
» par des voies extraordinaires de ce qu'il estime lui être dû. Or
» n'est-ce pas une voie tout-à-fait extraordinaire d'imposer le si-
» lence à cette compagnie, lorsque son devoir l'oblige à parler?...
» La séance de nos Rois dans leur lit de justice a toujours été
» une action de cérémonie, d'éclat, de majesté. Autrefois les
» Rois vos prédécesseurs, en semblables journées, faisoient en-
« tendre à leur peuple les délibérations des grandes affaires de
» l'état, dont ils demandoient l'avis à leur Parlement. C'étoient
» alors des assemblées de délibération et de conseil, au lieu
» qu'elles sont à présent *comme des effets de puissance souveraine,*
» *qui donne la terreur partout.* La présence de nos Rois ne

(1) *Mémoires de Talon*, T. III, p. 328.

» fermoit point la bouche aux officiers de votre Parlement, *dont* » *la fonction n'a jamais été diminuée.... Et c'est une espèce* » *d'illusion dans la morale et de contradiction dans la politique* » *de croire que des édits, qui par les lois du royaume ne sont* » *pas susceptibles d'exécution, jusqu'à ce qu'ils aient été ap-* » *portés et délibérés dans les Compagnies souveraines, passent* » *pour vérifiés, lorsque Votre Majesté les a fait lire et publier* » *en sa présence....* caet » (1).

Quotiescunque igitur Reges liberam Parlementorum insertionem prohibuerunt, inique egerunt, neque unquam ignorarunt, se ita agentes legem fundamentalem monarchiae violare. Sed hoc ipsum aperte probat legem fundamentalem, quae de legibus condendis cavet, si non semper stricte observatam, tamen agnitam fuisse, et revera ad constitutionem monarchiae, ne Imperio male uteretur Monarcha, tanquam partem necessariam pertinuisse.

10. — Hisce igitur quantum potuimus brevissime expositis, natura monarchiae explicata est. Vidimus sc. monarchiam, secus atque alias Imperii formas, revera niti legibus fundamentalibus. Utque earum legum absoluta necessitas et certa veritas confirmaretur, singulis passibus diligenter historiam secuti sumus, easque inde a primis temporibus semper fundamentum Imperii praesidiumque libertatis fuisse ostendimus. Fatemur quidem in historica illa inquisitione, nos infausta nonnunquam tempora meminisse, quibus Reges hanc illamve legem fundamentalem, licet agnoscerent eam, plus minusve violarunt; sed istam paucorum Principum injustitiam nihil adversus opinionem nostram facere, iterum contendimus. Ex documentis enim monumentisque multis, quibus fides denegari nequit, probavimus omnes omnino leges fundamentales, quibus monarchia, si germanam ejus naturam respicias, necessario niti debet, etiam in Francia propria ac perpetua monarchiae fundamenta fuisse. Imo,

(1) Ibid. T. IV. p. 183. Cf. etiam *Recueil de divers mémoires, harangues, remonstrances, servant à l'histoire de notre temps.* Paris 1623.

quod, ne prolixiores essemus, omisimus, probare in proclivi fuisset, quoties in Francia a naturalibus monarchiae legibus fundamentalibus recessum fuit, summa id semper in omnem civitatem mala importasse, quibus mederi non potuit, nisi reparato monarchiae naturali ordine, et revocatis ipsis illis, quae neglectae aut violatae fuerant, legibus fundamentalibus. Quotquot igitur Regum facta afferri possint, quibus ea fundamenta praeter fas et aequum evertere conati sunt, nihilominus certum manet, illorum audaciam monarchiae naturalem ordinem, salva republica, mutare non potuisse, neque adeo legibus fundamentalibus necessitatis vim aliquam derogasse.

Ut vero certius adhuc intelligatur, quam verum sit, antiquam Franciae monarchiam legibus fundamentalibus, quas a natura derivavimus, revera usam fuisse, juvat adhuc, antequam hunc locum finiamus, exhibere testimonia quorundam auctorum, quibus magnam in hac re auctoritatem tribuendam esse confido. Anno sc. 1795, cum jam ad popularem licentiam omne Imperium transiisset, conscriptus est a nonnullis pristinae monarchiae magistratibus liber egregius *de principiis fundamentalibus monarchiae Francicae* (1), in quo varia haec leguntur:

« *La constitution* attribue au Roi la puissance législatrice; de »lui émane toute jurisdiction. Il a le droit de rendre justice, »et de la faire rendre par ses officiers; de faire grâce; de dis»poser des offices; de conférer la noblesse; de convoquer, de »dissoudre les assemblées de la nation; de faire la paix et la »guerre, et de convoquer les armées » (2).

En multa jura, magna potestas: sed videamus quo modo ea temperata et limitata fuerit.

« Il est des lois que les Rois eux-mêmes se sont avoués (sui»vant l'expression devenue célèbre) *dans l'heureuse impuissance* «*de violer;* ce sont *les lois du Royaume*, à la différence des

(1) *Développement des principes fondamentaux de la monarchie française*, par plusieurs membres de l'ancienne magistrature. 1795. in 8°.

(2) *Op. l.* p. 28.

» lois de circonstances ou *non constitutionnelles*, appelées lois
» du Roi » (1).

« Ainsi, par exemple, *la succession à la couronne* est une
» primogéniture masculine, d'une forme rigide » (2).

« Si la dynastie règnante vient à s'éteindre, *c'est la nation*
» *qui se donne un Roi* » (3).

« Les Rois comme législateurs suprêmes ont toujours parlé
» affirmativement en publiant leurs lois. *Cependant il y a aussi*
» *un consentement du peuple*, mais ce consentement n'est que
» l'expression du voeu, de la reconnaissance et de l'acceptation
» de la nation » (4).

« *La nécessité du consentement de la nation à l'établissement*
» *des impôts*, est une vérité incontestable, reconnue par les
Rois » (5).

« Le consentement des états généraux est nécessaire *pour la*
» *validité de toute aliénation perpétuelle du domaine.* — Et la
» même surveillance leur est recommandée *pour empêcher tout*
» *démembrement partiel du royaume* » (6).

« *Trois ordres, trois chambres, trois délibérations, c'est*
» *ainsi que la nation est réprésentée.* Le résultat des délibéra-
» tions, s'il est unanime, présente le voeu des états généraux » (7).

» *La justice est administrée au nom du Roi, par des magis-*
» *trats*, qui examinent les lois, et voient si elles ne sont point
» contraires aux lois fondamentales (8). Une partie de leur
» devoir *est de résister à la volonté égarée du souverain* » (9).

« *Les magistrats sont inamovibles*, et les offices importants

(1) Ibid. p. 29.
(2) Ibid. p. 30.
(3) Ibid. p. 263.
(4) Ibid. p. 271.
(5) Ibid. p. 302.
(6) Ibid p. 303 et 304.
(7) Ibid. p. 332.
(8) Ibid. p. 343
(9) Ibid. p, 345.

« ne peuvent vaquer que par la mort du titulaire, la démission » volontaire ou la forfaiture jugée » (1).

In hisce autem omnibus, si aliqua attentione perlegantur, singulas leges fundamentales, quas supra descripsimus, quisque inveniet. Estque igitur res omni dubio major, Franciae monarchiam revera legibus, quas natura ponit, fuisse fundatam; adeo ut sententia nostra de naturali et necessaria monarchiae constitutione, etiam Franciae exemplo recte confirmari possit.

Perspecta vero monarchie natura universe, transire licet ad speciem eam, quae hodie *constitutionalis* dicitur, ut, quid de ea sit sentiendum, videamus.

VI.

DE MONARCHIA CONSTITUTIONALI.

Monarchia constitutionalis non nova est Imperii forma, sed est species tantum aliqua monarchiae, quae quidem quoad veram monarchiae naturam, nihil novi habet, inque omnibus monarchiam, qualis semper fuit, sequitur. — Sola vero differentia, quae inter monarchiam constitutionalem et monarchiam simplicem intercedit, haec est, quod in illa leges politicae, quae consecutiones sunt ipsarum legum fundamentalium, aut formam, qua observentur, praescribunt, firmius constitutae sunt, et quasi fundamentales ipsae redduntur. — Ob quam differentiam autem constitutionalis monarchia monarchiae simplici merito anteponenda videtur.

1.—Pervenimus itaque, quo pervenire jam diu studuimus, nempe ad eam introductionis nostrae partem, in qua antiquam monarchiam, quam nuper explicavimus, sive monarchiam, qualis ex

(1) Ibid. p. 356.

natura Imperii et civitatis ubique esse debet, cum monarchia *constitutionali*, quae hodie dicitur, comparabimus.

Nostris enim diebus multum de monarchia illa constitutionali disputari et quaeri solet, eaque vulgo proponitur, quasi esset recentiorum temporum foetus quidam, qui cum antiquarum monarchiarum institutionibus nihil commune habeat. Quanto vero errore sese abduci patiantur, qui ita sentiunt, jam est videndum. Sed antequam longius progrediamur, quid proprie *constitutio* significet, inquiramus.

Olim quidem per constitutionem (et haec vera propriaque vocabuli significatio est), intelligebatur forma administrationis in civitate sensim sensimque introducta, et sponta recepta; forma sc. secundum quam Reges Imperium in populum exercebant, ita ut proinde Imperii exercitio determinaretur. Neque ea constitutio erat lex quaedam scripta, sed velut tempore et diversarum saepe rerum momentorumque concursu nata sive introducta. Et quamvis nulla civitatis species in orbe terrarum existat, quae non certo sensu certaque vocis acceptione constitutionem habeat, id est, quae non secundum formam, quae paulatim ibi invaluit, regatur ac dirigatur, attamen monarchia omnes alias Imperii formas eatenus superat, quod ab ipsa natura constitutionem habeat, firmam atque immutabilem. Nititur enim monarchia certis legibus fundamentalibus, quae ex ipsa rerum natura derivantur, quasque praeterire non licet, quin omne civitatis aedificium corruat, neque amplius monarchia, sed tyrannis vel saltem despotismus habeatur. Ex ipsa igitur natura monarchiae Imperium ejus certis formis necessario temperatur, illiusque exercitium certo modo determinatur, et sine limitationibus illis naturalibus monarchia prorsus excogitari nequit. Sufficienter quoque, ut principia ea philosophica vera esse factorum exemplis probaremus, tradidimus, Imperium etiam ipsorum Regum Franciae, quorum auctoritas omnibus Regibus in Europa superior fuisse fertur, legibus illis fundamentalibus fuisse temperatum atque limitatum. Scio quidem a nonnullis perperam, quamvis pertina-

citer, contendi, antiquam Franciae monarchiam ejusmodi constitutionem nullam habuisse: sed quam longe illi a veritatis semita aberrent, ex innumeris documentis historicis, quorum aliquot attulimus, satis evincitur.

Toto autem caelo a constitutione proprie dicta differunt constitutiones hodiernis diebus vulgatae, et in pluribus monarchiis jam admissae. Talis constitutio non intelligitur naturalis forma, qua tota Summi Imperii exercitio regitur, sed est lex positiva quaedam, quae de Imperio cavet. Quam male autem ejusmodi constitutiones, etsi saepe *leges fundamentales*, sc. scriptae sive positivae, dicantur, plerumque tamen *pactis* assimilentur, quibus Imperium magis minusve restringitur, prout illud pasciscentibus visum fuerit, non est quod denuo probemus: supra enim satis superque ostendimus, nullubi Imperium pactis niti posse, et leges fundamentales scriptas sive constitutiones, quales hodie habemus, neque pactis constitui posse, neque revera pacta esse, cum pactorum naturae nullo modo conveniant, inque horum terminis nullatenus subsistant. Hanc igitur opinionem, cujus falsitatem detegimus, non amplius attendentes, inquiremus quid proprie sint hodiernae constitutiones, ut sic de monarchia constitutionali deinde recte judicemus.

Scilicet ubi de monarchia universe egimus, observavimus ex naturali relatione Imperantem inter et subditos derivari leges politicas, quibus externa Imperii forma exprimitur. Has autem in duas species distinguendas esse diximus: alias nempe, quae ubique eaedem sunt nec tolli possunt, utpote quae proxime ex ipsa rerum et societatis politicae natura sponte profluant, et quae fundamentales appellantur, quia illis tanquam fundamento nititur civitas; alias vero politicas proprie sic dictas, quae quidem ex ipsis legibus fundamentalibus derivantur, sed quae proprie earum consecutiones et velut progressiones sunt, vel formam, qua observentur, respiciunt, quaeque pro diverso populorum ingenio aut diversa temporum conditione mutari et tolli possunt.

Jam vero ex ea legum politicarum diversitate omnium consti-

tutionum, quibus hodie pleraeque monarchiae utuntur, ratio et finis explicari debent. Quid enim iis continetur? in omnibus sc. primum ac praecipue descriptas invenimus leges fundamentales naturales, quibus Imperium in monarchia necessario temperatur ac regitur, etiamsi nulla adsit lex positiva, qua leges illae fundamentalis scriptis mandentur. Deinde vero, praeter has leges fundamentales naturales, multas continent leges politicas, quae vel amplificationes et velut progressiones sunt legum fundamentalium, vel certas formas praescribunt, quibus illarum observantia tueatur. Porro, cum leges fundamentales monarchiae, prout cultior est civitas, plures paucioresve amplificationes recipiant, et ipsa forma, qua observentur, pro diversa rerum temporumque conditione possit variari, hinc diversarum monarchiarum constitutiones, quoad leges politicas, multum ab invicem differre possunt et revera differunt; sed, quoad leges fundamentales, convenire inter se necessario debent; nam si differrent, sine dubio inter eas haec aut illa genus quoddam civitatis indicaret, quod licet a monarchia parum forte recederet, tamen vera monarchia non esset. Sic, ut magis definita loquamur, in omnibus monarchiis, quae hodie dicuntur constitutionales, perinde atque in aliis monarchiis invenitur Monarcha, penes quem jure successionis Imperium est; invenitur Nobilitas tanquam corpus interjectum inter Monarcham et populum; inveniuntur comitia, sive Ordines Generales, sive alio nomine appellata, ad quae potissimum pertinent tributorum concessio et legum custodia; inveniuntur tribunalia, a quibus leges applicantur. Leges igitur fundamentales naturales, atque adeo quaecumque ad essentiam monarchiae pertinent, ubique adsunt. Verum quae de modo successionis, de dignitate regia, de procuratore regni, de privilegiis et honoribus nobilitatis, de eligendis et ordinandis comitiis, de numero et jurisdictione tribunalium, aliisque plurimis, in hodiernis constitutionibus caventur, haec quidem omnia in variis monarchiis ab invicem quam maxime differre possunt, sed etsi differant, naturam monarchiae mutare nequeunt.

Unde etiam vere dici potest monarchiam constitutionalem, uti hodie est, non novam esse Imperii formam, aut cum antiqua monarchia nihil commune habere, sed iisdem plane institutionibus et principiis uti, quibus illa utebatur. Neque ego hoc, quod dico, inveni, sed idem de Francia, (ut in eodem quo hucusque usi sumus, exemplo maneamus,) affirmant auctores plurimi, inter quos, ut alios omnes praetermittam, unius tantum testimonium afferam, utpote certe ea de re recentissimum. Locus autem, quem describam et in quem forte fortuna incidi, est pars quaedam excerpta ex oratione clarissimi et eruditione praestantissimi viri juris antecessoris in Academia Rhedonensi (*Rennes*), cujus verbis eo lubentius utor, quia publice prolata multorum comprabationem nacta sunt.

Ac primum quidem sequenti modo incipit: « un résultat nous » parait certain, c'est le lien qui unit notre constitution moderne » avec nos anciennes institutions, et ce résultat a son importance: » quand une nation arrive à cette conviction que les institutions » qu'elles possède, elle les a *possédées* ou *reclamées énergique-* » *ment* dans toutes les phases de son existence; quand elle arrive » à une pensée *d'identité*, *qui allie son présent à son passé*, » soyez persuadés que c'est un grand bien qui lui est acquis. Ce » ne serait pas un service à nous rendre de mettre un abime entre » les institutions de 89 et le droit public de l'ancienne monarchie».— Deinde singula principia enumerans, quibus hodierna monarchia niti dicitur, et quae tantis laudibus solent efferri, ea omnia in antiqua monarchia agnita et saepius publice enunciata fuisse ostendit: « les états ont proclamé tous les principes du *gouver-* » *nement réprésentatif*. Ecoutez, messieurs, le résumé de cette » *charte nationale*, qui nous est donné par nos pères dans les » résolutions des Etats-Generaux:

« En 1302, indépendance de la couronne;

» 1314. Nécessité du consentement des trois ordres pour les » impôts et pour toute mesure prise au nom des états;

» 1351. Specialité de l'emploi des deniers votés; examen » des comptes;

» 1355. Retour périodique des états, vote annuel des sub- » sides;

» 1355. Respect des jurisdictions; que nul ne puisse être » distrait de ses juges naturels;

» 1357. Droit des états de déférer la régence du royaume;

» 1359. Nécessité de la ratification des traités portant sub- » side et cession de territoire. »

1380. Le Roi ni ses successeurs ne pourront contrevenir aux lois, franchises et libertés du pays, etc. etc. » — Porro de comitiorum sive Ordinum Generalium officio et munere prosequitur: « sur la mission des états, sur le caractère *d'assemblée » nationale*, écoutez un autre orateur, Philippe de Poitiers: » tous les députés sont censés tenir leurs pouvoirs *de tous* les » électeurs réunis des trois ordres: chacun n'est pas réputé » tenir les siens seulement de l'ordre qui l'a nommé.... Les dé- » putés élus traitent *de concert les interêts communs* du royaume » et concourent à procurer le bien être *de la nation*; ce devoir » est *commun* à l'assemblée entière, et non différent pour cha- » que membre en particulier ». — Praeterea repraesentationem populi, quae saepe ut praecipua monarchiae constitutionalis virtus laudatur, undeque ei nonnunquam nomen regiminis repraesentativi (*gouvernement représentatif*) vel monarchiae repraesentativae (*monarchie représentative*) tribuitur, semper, *licet variis sub formis*, obtinuisse probat: « le tiers état de- » puis le 12e siècle jusqu'en 1789 a donc constamment représen- » té sous des *formes différentes* les libertés *locales*, les libertés » *provinciales*, les libertés *nationales*. Il a concouru puissam- » ment à la vie de notre ancienne constitution, et il a donné » la vie entière aux institutions modernes, car ces libertés lo- » cales, provinciales et nationales, sont aujourd'hui le fond de » nos lois constitutionnelles ». — Et postquam adhuc observavit eam repraesentationem populi, etsi minorem vim quam ho-

die habuerit, multam tamen ad libertatem contulisse: « sans » doute l'organisation des communes du 12ᵉ siècle et l'organi- » sation constitutionnelle de 89 ou de 1830, n'empruntent pas les » mêmes forces ; *l'état de la société ne le permettait pas ;* mais » l'idée de liberté individuelle, de garantie publique est au » fond de ces deux révolutions séparées par six siècles » ; tan- » dem concludit, hodiernam monarchiam nihil novi continere, » omnemque libertatem et jura populi, quibus hodie fruitur, in » ipsa antiqua monarchia nata esse : « par l'examen attentif des » principaux faits de notre ancien droit public, nous sommes » arrivés à cette conclusion, *que nos libertés ne datent pas d'hier.* » Elles ont la majesté *du temps*, comme la dignité *de la raison* » (1).

2. — Porro arcta ista monarchiae constitutionalis cum antiqua sive simplici monarchia, qualis ex natura rerum esse debet, necessitudo et constans inter utramque similitudo melius adhuc intelligitur, si observetur varia, quae monarchiae constitutionali tribui solent nomina, eadem aptissime cuivis monarchiae, etiam non constitutionali, convenire. Ita primum quidem nonnunquam appallatur regimen repraesentativum *(gouvernement réprétatif)* vel monarchia repraesentativa *(monarchie réprésentative)*. Inter ipsas autem leges fundamentales monarchiae, sine quibus universe consistere non potest, eam quoque memoravimus, ut adsit magnum gentis concilium, quod totius civitatis vices sustineat. Numquid aliud quid est repraesentatio, quae cernitur et laudatur adeo in monarchia constitutionali? Sed, ut certior fias, hoc addo. Nimirum ab omnibus, qui repraesentationem illam proprium ac novum constitutionalis monarchiae emolumentum esse arbitrantur, certum memoratur criterium, quo statim repraesentatio dignosci possit, jus sc. tributa concedendi. At vero, haec tributorum consessio, uti supra exposuimus, in quavis monarchia ex

(1) Vid. *Discours prononcé à la clôture du cours sur l'histoire des institutions politiques et administratives*, par M. LAFERRIÈRE, professeur à la faculté de Droit de Rennes. — *Revue de législation et de Jurisprudence*, T. VIII. 5ᵉ livr. p. 366. Paris 1838.

ipsis legibus fundamentalibus, quibus naturaliter superstructa est, necessario requiritur. Nonne etiam probavimus eam semper intea leges fundamentales veteris quoque monarchie Francicae, quae nondum constitutionalis erat, magum revera locum tenuisse? Ergo, modo vera non nomine tantum, sed re quoque monarchia sit, utique adest repraesentatio populi. Quod vero repraesentatio hodie in monarchiis constitutionalibus majorem vim et auctoritatem in rebus gerendis habeat, id quidem laudari sine dubio meretur, sed temporum conditioni tribuendum, neque naturam monarchiae, quae semper eadem est, ulla ratione immutat.

Deinde autem monarchia constitutionalis saepissime etiam *monarchia limitata* vocatur. Nimirum distinguitur a plerisque monarchia *absoluta* et *limitata*, ita ut absoluta dicatur, in qua Imperium nullo limite, quam salutis populi scopo, contineatur, et Monarcha ipse ex proprio judicio omnia peragat; limitatam vero eam vocant, in qua Imperium inter certos limites contineatur, aut ad praesidia certi generis usurpanda aliorum consilio indigeat. Mihi autem ea distinctio semper suspecta visa est, eamque natam existimo ex erronea opinione olim frequentissima, qua absoluta potestas cum potestate arbitraria, etsi magnum inter eas discrimen obtineat, solet confundi. Absolutum nempe omne Imperium est quoad summitatem suam, id est, quod nulli obnoxium, nihil eo superius sit, et quod ab eo jubeatur velut supremum et ultimum jussum sit, cui vi resistere nefas est. Sed si verum sit, Imperium natura sua absolutum sive, ut propriam verbi significationem reddam, *perfectum* esse, haud minus verum illud in monarchia *certum* quoque esse, id est, certis legibus fundamentalibus temperari, ita ut non omnia omni modo liceat principi. Et hoc ipso differt justa monarchia a despotismo in quo nihil *certum* est (1), sed cuncta ex privata principis voluntate aguntur, quae pro factionum vel personarum mutatione

(1) S'il n'y a dans l'état que la volonté momentanée et capricieuse d'un seul, rien ne peut être *fixe*. — MONTESQ. *op. l.* II. 4.

perpetuo vacillat aut variatur, aut caeco quandoque affectuum turbine in contraria rapitur.

Quid igitur sibi vult distinctio ista inter monarchiam absolutam et mnarchiam limitatam? Nempe si vocabulum *absoluti* recte explicetur, omnis monarchia absoluta est, neque exsistere potest monarchia, in quo, Imperium, quod penes Monarcham est, non sit omni coactione superius. Unde manifeste sequitur ipsam monarchiam constitutionalem, quamquam recte limitata dicatur, etiam merito absoluta dici posse et ab hac perperam distingui.

Verum ex diverso nomen limitatae monarchiae, quod jure quidem monarchiae constitutionali tribuitur, commodissime etiam de antiqua monarchia sive de monarchia non constitutionali usurpatur. Primum vero cavendum, ne de limitatione Imperii false opinemur. Ea sc. loquendi ratio, quae usu invaluit, *Imperium limitari*, admodum impropria est. Imperium enim, quoad ipsam potestatem sive ipsum jus limitari nequit; etenim a quo limitaretur Imperium, is sine dubio potestatem haberet illa, quam limitaret, superiorem: verum eo casu posterior, non amplius prior Summus Imperans esset: id quod contradictionem involvit. Non itaque Imperium, sed Imperii exercitium certis formis tanquam limitibus determinari potest. Jam autem formae ejusmodi, quibus exercitium Imperii, ne hoc abutatur Monarcha, in quavis monarchia, modo revera talis sit, invenire licet. Nulla enim esse potest monarchia, in qua Monarcha ipse omnia ex proprio judicio agat, nec aliorum consilio indigeat, cum ipsa natura modum praescribat, quo Imperium Monarcha exerceat; atque ubi principem omnia ex proprio judicio agere videris, ibi non monarchiam, sed despotismum, si non tyrannidem exsistere recte conjicies (1).

Certissimum itaque est quamlibet monarchiam esse absolutam, sed simul limitatam, id est, in ea Imperii exercitium certis formis fundamentalibus determinari. Atque hinc MONTESQUIE-

(1) Dans le gouvernement despotique un seul, *sans loi et sans règle*, entraîne tout par sa volonté et par ses caprices. — MONTESQ. *Op. l.* II. 1.

vius non differentiam statuit inter monarchiam absolutam et limitatam, sed quamcumque monarchiam *moderatam* appellat (*état, gouvernement modéré*). Neque illam eo nomine semel aut raro, sed passim per totum opus designat. (1).

Tandem monarchia constitutionalis nonnunquam Imperii forma mixta vocatur (*gouvernement mixte*). Scilicet constitutionis cujuslibet finis id praecipue spectare vulgo dicitur, ut diversarum potestatum aequilibrium constituatur, ex quo producatur forma Imperii ex tribus generibus illis monarchico, aristocratico et populari composita. Verum supra abunde monstravimus Imperium sua natura esse *unum* neque in diversas partes scindi posse, quin civitatis notio plane absurda oriatur. At si haec est Imperii natura in quavis reipublicae forma , ea magis certe et magis necessario est in monarchia, quae sponte corruit, ubi Imperium non amplius unum atque indivisum penes Monarcham sit.

Ergo nomen Imperii formae mixtae, si ad verbum intelligas, monarchiae constitutionalis non magis quam monarchiae simplici convenire potest, ac si conveniat, non amplius monarchia erit.

Verum si Imperii forma mixta ita intelligatur, ut significet triplicem quandam commodorum sive principiorum, uti vocantur, distinctionem, quorum in administranda civitate ratio haberi debet, nomen illud recte quidem monarchiae constitutionali tribuitur, sed summo quoque jure monarchiae simplici competit. Monarcha enim, qui caput est civitatis cum sua potestate suoque momento in eos, qui publicis muneribus funguntur, principium monarchicum constituit. Principium vero aristocraticum proprie ac praecipue quidem repraesentant Nobiles, quae separatum faciunt ordinem, tum etiam illi, qui magnis opibus pollent et latissimos fundos possident. Ac tandem principium democraticum sustinetur ab omnibus, qui neque generis splendore neque agrorum dominio prae caeteris sunt insignes.

(1) Sic, ut sex tantum priores ejus operis libros percurram cf. III. 9. 10. V. 14. 15. VI. 2. 9. 16.

Deinde Imperium unum quidem esse probavimus, verum addidimus illud plures habere functiones, quae separatim considerari atque exerceri possunt. Et revera secundum ipsas leges fundamentales naturales monarchiae diversae functiones Imperii a diversis personis aut corporibus Monarchae in suo munere, etsi subordinatis, nequaquam tamen obnoxiis, necessario exerceri vidimus. Atque ea ratione ad administrandam civitatem conjunctim multa conferunt populus universus, multa Nobiles, multa ipse Monarcha: adeo ut revera in monarchia velut aristocratia quaedam et democratia et monarchia simul adesse videatur. Idque iterum de antiqua Franciae monarchia observarunt veteres auctores. « Bien que la France soit une monarchie, si est-ce que par » l'institution d'une infinité de belles choses politiques, qui la » rendent florissante, il semble qu'elle soit composée de trois » façons de gouvernement; c'est à savoir de la monarchie, qui » est d'un; de l'aristocratie, qui est le gouvernement des per» sonnages graves et sages choisis et reçus aux maniement des » affaires; et de la démocratie, c'est-à-dire du gouvernement » populaire..... Mais nous ne disons point que la France *soit un* » *état composé* de trois façons de gouvernement, *ni divisé en* » *trois*, en puissance absolue et égale, chacun ayant la sienne, » mais nous disons seulement *qu'il semble qu'il le soit*, vu les » autorités des trois états, tous toutefois soumis à la puissance » du souverain, qui est le Roi, de laquelle ils tirent la leur, » comme nous tirons du soleil la clarté, que nous voyons; et il » y a bien grande différence entre sembler et être.... caet (1). Imo quod notandum jam olim priscis temporibus ipsi Reges agnoverunt Imperium eo sensu esse divisum. Sic in capitulario quodam LUDOVICI *Pii* anni 823 disertis verbis legitur: « Sed » quoniam complacuit divinae Providentiae nostram mediocri» tatem ad hoc constituere, ut regni hujus curam gereremus, » ad hoc certare et nos et filios et socios cunctis diebus vitae » nostrae optamus, ut pax et justitia in omni generalitate populi

(1) DUHAILLAN, *monarchie française* part I. ch. 12.

»nostri conservetur. Sed quamquam summa hujus ministerii in »nostra persona consistat, tamen et divina auctoritate et humana » ordinatione *ita per partes divisam esse cognoscitur*, ut unus » quisque vestrum in suo loco et ordine partem nostri mini» sterii habere coqnoscatur. Unde apparet, quod ego omnium » vestrum admonitor esse debeo, et omnes vos nostri adjutores » esse debetis» (1).

Itaque modo Imperii divisio juste intelligatur, ea non nova est virtus monarchiae constitutionalis, sed in quavis monarchia reperiri potest, adeo ut etiam hac ratione, nihil monarchia constitutionalis a monarchia simplici differat.

3. — Re itaque diligenter perspecta certum est monarchiam constitutionalem, qualis hodie habetur, non esse novam Imperii formam, sed speciem tantum monarchiae, quae licet omnino naturam sive essentiam monarchiae habeat, ab ea tamen in quibusdam sit diversa. Sola nempe differentia quae inter utramque intercedit, haec est. Antiqua monarchia legibus fundamentalibus naturalibus supertructa quidem erat, sed hae non semper in legem scriptam translatae erant. Deinde formae sive institutiones, quae ad leges fundamentales monarchiae servandas spectabant, vel etiam leges politicae, quae consecutiones et velut progressiones erant ipsarum legum fundamentalium, non satis firmiter erant constitutae, sed a Regibus sibi invicem succedentibus facile et fere pro lubitu mutari, quin tolli poterant. In monarchia vero constitutionali, uti hodie in plerisque regionibus est, leges politicae firmius constitutae sunt, ita ut a Regibus non possint negligi aut temere abrogari, et ipsae velut fundamentales reddantur. Quod magnum sane libertatis praesidium praebet: leges enim politicae cum legibus fundamentalibus arctissime cohaerent, quae sine illis revera efficacitatem habere non possunt. Unde laudari omnimo debet civitas, in qua leges politicae, ex quarum observantia ipsa legum fundamentalium

(1) Capit. T. I. p. 633 et 636.

observantia pendet, ita dispositae fuerint, ut a Monarcha necessario servari debeant (1).

Atque igitur, si hoc modo monarchia constitutionalis consideretur, ea certe species monarchiae est, quae antiquam monarchiam multo antecellit. Verum simul apparet vehementer errare eos, qui ex monarchia constitutionali faciunt civitatis formam plane novam, quacum prisca monarchia, id est simplex monarchia, nullo modo conveniat. Ex iis autem, quae exposuimus, constat, de monarchia constitutionali non aliter judicari posse quam de monarchia simplici, et utramque, si de Imperio controversia est, simili ratione esse considerandam.

(1) Les lois politiques deviennent fondamentales elles-mêmes lorsqu'elles sont sages. — Rouss. *Contr. Soc.*

TANTUM.

THESES.

I.

Errant qui putant sanctionem legis non solum in poenis, sed recte etiam in praemiis constitui.

II.

Verba legis XII Tabb. UTI LEGASSIT—ITA JUS ESTO, testamentum *per aes et libram* respicere videntur.

III.

Probanda est conjectura BILDERDIJKII in l. 69 ff. *pro soc.* verbum *epulas* corruptam esse versionem graeci vocabuli ἔμπολας.

IV.

Male interpretes nonnulli in explicanda l. 20 pr. ff. *qui test. fac. poss.* emblemati occurrunt, fingendo Ulpianum sola cogitasse testamenta jure civili nulla, sed praetorio jure valida.

In titulo ff. *de diversis regulis juris* multa inveniuntur fragmenta, quae nullam revera juris regulam continent.

VI.

Discrimen inter culpam latam et levem proprie significat notionem moralem, quae non exorta est ex disciplina juris. Illud enim omnino huc redit, quod culpa lata vitium est, culpa levis tantum facti boni omissio.

VII.

Abrogata esse in Codice Civili Neerlando consilia familiae, non est improbandum.

VIII.

Laudandum est art^i. 892 Cod. Neerl. praescriptum, quo jus repraesentationis praeter fratrum sororumve liberos etiam aliorum collateralium liberis tribuitur, si una cum thiis de patre aut matre ad hereditatem veniant.

IX.

Legatorum collationi in Cod. Neerl. locum non dari contendimus.

X.

Verba art^i. 1356 n°. 3 Cod. Neerl. nihil plane dicunt.

XI.

Improbamus legis institutum, quo tribunalibus judicium illico ferre licet de delicto in judicis contemptum commisso (vid artt. 305 et 306 *Wetb. van Strafv.*)

XII.

Quae in jure criminali *relativae* appellantur theoriae falsae nobis esse videntur.

XIII.

Monarchia constitutionalis, quae hodie dicitur, non nova est Imperii forma, antea incognita, sed est species tantum aliqua monarchiae, quae quidem quoad veram monarchiae naturam nihil novi habet, inque omnibus monarchiam, qualis semper fuit, sequitur. *Constitutio* enim, a qua nomen accepit, et quae est lex quaedam scripta, si recte inspiciatur, nihil ubique continet nisi ipsas leges fundamentales ex rerum natura derivatas, quibus monarchia, secus atque aliae Imperii formae, necessario nititur, additis simul legibus quibusdam politicis, quae aut amplificationes et velut consecutiones sunt ipsarum legum fundamentalium, aut formam praescribunt, quibus illarum observantia servetur. Ejusmodi autem leges politicae olim quoque in quavis monarchia, etiam non constitutionali, aderant quidem, cum ad leges fundamentales necessario pertineant, sed non tam certae ac stabiles erant, et a Regibus nimis facile poterant tolli aut mutari; quo saepe ipsae leges fundamentales plus minusve violarentur. In constitutionalibus vero monarchiis leges

illae politicae magis firmae sunt et ipsis legibus fundamentalibus velut aequiparantur, et recte quidem, quoniam, uti ait ROUSSAVIUS, leges politicae, si bonae sint, fundamentales fiunt. — Haec igitur sola est, quae inter monarchiam constitutionalem et monarchiam simplicem, qualis semper fuit, et hodie in nonnullis regionibus adhuc est, intercedit differentia: sed ob quam merito etiam monarchia constitutionalis optima videtur.

XIV.

Ministrorum obligatio ad rationes reddendas (*ministeriele verantwoordelijkheid*), etsi in se omnino probanda, in Lege Fundamentali nostra non videtur recepta.

XV.

Decisio controversiarum inter duas pluresve provincias vel locorum administrationes, si de dominio lis orta sit, secundum Legem Fund. non ad Regem, sed ad judicem ordinarium ferenda est.

XVI.

Mercaturae libertatem in omni industriae genere uno eodemque temporis puncto introductam perniciosam fore, merito censet HOGENDORPIUS (*Lettres sur la prospérité publique*).

XVII.

Privilegium magnum Mariae Burgundicae jure a Philippo II fuit abrogatum.

XVIII.

Oratio ab hominibus inveniri nequit, cum sine oratione ne cogitationem quidem inventionis habere potuissent. Id quod omnino perspexisse videtur ROUSSAVIUS ubi dicit: «tout considéré, la parole me parait avoir » été fort nécessaire pour inventer la parole».

XIX.

Certitudo scientiarum mathematicarum, id est, axiomatum quibus utuntur, non nititur demonstratione, sed universali hominum assensui.

XX.

Vere et eleganter cel. BURKE: «les rois deviendront » tyrans par politique, lorsque les sujets seront rebel» les par principe» (*Reflexions sur la révolution Française*).

ERRATA.

Pag.	25	lin.	3	pro	*concilio*	lege:	*consilio.*
»	»	»	4	»	*pacta*	»	*pacti.*
»	28	»	32	»	*sterilitatem*	»	*sterilitas.*
»	»	»	»	»	*nimios*	»	*nimii.*
»	103	»	5	»	*and*	»	*ad.*
»	104	»	5	»	*ipsi*	»	*ipse.*
»	112	»	31	»	*proerogatam*	»	*praerogatam.*
»	120	»	30	»	HINMARUS	»	HINCMARUS.

Caetera emendet B. L.